BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
34 B
20

Digitized by Google

DE BAPTISMI ANTIQVO VSV AB ECCLESIA INSTITVTO, PROBATO, VSVRPATO

Oecumenica Diſſertatio duplex F. IOANNIS NICOLAI Ordinis Prædicatorum Doctoris Theologi Pariſienſis contra Pſeudocriticas nouitates :

Altera de Baptiſmi ſolennis legitimo tempore citra neceſſitatem obſeruando :

Altera de Iudæis vel de aliis quibuſcunque Infidelibus ad baptiſmum ſuſcipiendum non cogendis.

Oecumenicam voco vt & ſimiles quaſdam, quia de re ad materiam œcumenicam ſeu Eccleſiæ praxim vniuerſalem pertinente : Quis reprehendat ſapienter ?

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

PARISIIS,
Apud IOANNEM COVTEROT, viâ Iacobæâ, ſub ſigno paruuli Ieſu.

M. DC. LXVII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

NOBILISSIMO,
ILLVSTRISSIMO,
ET CLARISSIMO VIRO
DOMINO CAROLO

DE LIVRON

BOVRBONNE
AMBRONIACI MONASTERII
& Oppidi Abbatiæ Toparchæ
meritiſſimo &c.

Frater Ioannes Nicolai Ordinis
F. Prædicatorum hoc officij
pignus offert.

VT rationem tibi qualiſcunque laboris mei reddam, Illuſtriſſime Abba & Domine, cauſa in promptu eſſe ſatis euidens poteſt, ne officio

ã ij

deſim cuius mihi neceſſitatem impoſuiſſe Rex videtur, cùm in aliquam beneficij tui partem eò Regiâ magis quòd inſperatâ benignitate aſciſcere me cum Conſilio ſuo Conſcientiæ dignatus eſt. Indignus planè tam benignâ conceſſione dici poſſim, ſi ad otium inutile fouendum datam non ad leuandum juuandumque laborem arbitrarer: Nec in Regiam illam concedentis benignitatem ſatis videar gratus eſſe, niſi & ſenſum huius meæ tam legitimæ gratitudinis in teipſum etiam reflecterem, quem Chriſtianiſſimus Princeps tam ſpontaneæ conceſſionis prouiſorem honorarium deſtinauit.

Hæc non infima nempe dignitas Regum & Majeſtas videri poſſit, vt qui beneficia ſua per alienas & miniſteriales manus ad poteſtatis teſtimonium partiuntur, debitam inde ſibi gratitudinem communicare illis non dedignentur aut recuſent quorum vtuntur interuentu; ac in exemplum Dei cuius expreſſiorem in ſe formam ac imaginem repræſentant, ſibi repenſum arbitrentur quod adminiſtris ipſis beneficentiæ Regiæ ſuæ ac liberalitatis impenſum ſit, & vicariâ quaſi ſorte ſub eorum perſonâ redhibitum.

Sed enim vices tibi commiſſas hac in parte, tametſi alioqui cum

diſpendio tuo id impendas quod commiſſum eſt, ſic alacriter & gratioſè, ſic diligenter & ſolicitè, ſic generoſè ac libenter exequi geſtis quantum ad curam tuam ſpectat, Illuſtriſſime Abba & Domine, vt illud ipſum quod inde in me deriuatur ex Regis nutu beneficium, ſimul etiam tuum dici non immeritò poſſit: Niſi Regium dici malles, quia Regio longè magis honori parentare quàm tuo penſum putas: Vt & ſemper tuorum is genius inſignis fuit ſic ſe Regiis obſequiis accuratiùs inſeruientes quàm propria curantes exhibere: Hoc generoſiſſimi Parentis tui optimè de Gallia meriti notiſſimum &

ſuo gradu digniſſimum ſpecimen: Hæc illuſtrium tot Majorum quaſi gentilitia profeſſio, quorum collectam in te vno gloriam vt æmulo eorum ac hærede non degeneri repræſentas.

Vellem aliud majus quo teſtari hunc ſenſum poſſem, occurriſſet: Sed quo teipſum ſenſu noui, nihil exiſtimare paruum poſſis quod pro ſinceritate veritatis, quod pro Religionis integritate, quod pro Eccleſiarum piâ & legitimâ praxi aſſerendâ vindicandâque ſuſceptum ſit; ac potiſſimùm Gallicanæ cuius tam nobile membrum es, & Romanæ cuius profeſſor tam ſincerus. Eò nimirum per ſe ſpectant ſuſceptæ à me per

oblatam occaſionem quæſtiones inter cæteras duæ, quas hîc uno tenore tibi Abba Illuſtriſſime, quamuis non unâ ratione diſcuſſas exhibeo; & quas me ſuſcipere diſcutiendas perpetuus interpolator veritatis, præclaro illi & inſigni Ordini cuius uni Monaſterio praees pluſquàm ſatis apprimè notus, importunè coëgit; ut utramque ſicut alias quaſdam ab illius falſiloquiis, deprauationibus, corruptelis, euagationibus, aberramentis, & illuſionibus vindicarem.

Quibus utique nugamentis antiquum Eccleſiæ Romanæ uſum pro baptiſmo ſolenni ſolis Paſchæ ac Pentecoſtes peruigiliis

conferendo Pontificiâ ſanctione firmatum ludat; quibus figmentis contrarium in Eccleſiam Gallicanam vſum introducere otioſè conetur; quibus falſis & vanis pretextibus eundem quem opponit Romano morem in Hiſpania, in Africa, in Germania, in Anglia, in Oriente, in Italia ipſa vſitatum fuiſſe tam audacter aſſerat, quæſtionis anterioris diſcuſſio conuincet euidenter: Vbi Romanum vſum generatim præſcriptum eſſe forma ipſa Decreti multiplicis expreſſè indicabit: Vbi hoc Eccleſiam Gallicanam ſenſiſſe quod Romanam, conflatum ex Galliæ Prelatis vniuerſis Matiſconenſe Concilium (preter Altiſſiodo-

oblatam occaſionem quæſtiones inter cæteras duæ, quas hîc vno tenore tibi Abba Illuſtriſſime, quamuis non vnâ ratione diſcuſſas exhibeo; & quas me ſuſcipere diſcutiendas perpetuus interpolator veritatis, præclaro illi & inſigni Ordini cuius vni Monaſterio praees pluſquàm ſatis apprimè notus, importunè coëgit; vt vtramque ſicut alias quaſdam ab illius falſiloquiis, deprauationibus, corruptelis, euagationibus, aberramentis, & illuſionibus vindicarem.

Quibus vtique nugamentis antiquum Eccleſiæ Romanæ vſum pro baptiſmo ſolenni ſolis Paſchæ ac Pentecoſtes peruigiliis

conferendo Pontificiâ ſanctione firmatum ludat; quibus figmentis contrarium in Eccleſiam Gallicanam vſum introducere otioſè conetur; quibus falſis & vanis pretextibus eundem quem opponit Romano morem in Hiſpania, in Africa, in Germania, in Anglia, in Oriente, in Italia ipſa vſitatum fuiſſe tam audacter aſſerat, quæſtionis anterioris diſcuſſio conuincet euidenter: Vbi Romanum vſum generatim præſcriptum eſſe forma ipſa Decreti multiplicis expreſſè indicabit: Vbi hoc Eccleſiam Gallicanam ſenſiſſe quod Romanam, conſlatum ex Galliæ Prælatis vniuerſis Matiſconenſe Concilium (preter Altiſſiodo-

ā v

renſe, Meldenſe, Auguſtanum, Rhotomagenſe) demonſtrabit: Vbi ex Pontificum Romanorum Decretis vſum illum inductum in Galliam Carolus-Magnus & Ludouicus Pius declarabunt, indeque ſuis omnibus obſeruandum injungent: Vbi quicquid in contrarium fingi poteſt, aut extraordinariè propter neceſſitatem imminentem, aut abuſiuè factum ac emendatum ſtatim per canonicam diſciplinam, aut ſuppoſititium & falſiſſimum eſſe hiſtorica vndique monumenta & faſta teſtabuntur: Vbi Orientalem Eccleſiam Occidentali hac in parte conformem extitiſſe Græcorum Patrum authoritates aſ-

ſertinæ oſtendent, & earum quæ fictitiæ opponuntur in contrarium, illuſio detecta confirmabit.

Quàm fraudulentis verò rurſum ac falſariis hypotheſibus eum Galliæ vel Gallorum Principum vſum à ſe inferri putet vt Iudæos vel qualeſcunque infideles ad amplectendam chriſtianam fidem & ad baptiſmum propterea ſuſcipiendum vi cogerent; quàm præpoſterè vel inaniter vel deprauatè id ex Caroli Magni, Chilperici, & Dagoberti primi preſumptitiis ac falſatis exemplis eruere ſe iactet; quàm inſulsè ac parum reuerenter exemplum Siſebuti à Concilio Toletano correctum eos Reges tam canonicę

renſe, Meldenſe, Auguſtanum, Rhotomagenſe) demonſtrabit: Vbi ex Pontificum Romanorum Decretis vſum illum inductum in Galliam Carolus-Magnus & Ludouicus Pius declarabunt, indeque ſuis omnibus obſeruandum injungent: Vbi quicquid in contrarium fingi poteſt, aut extraordinariè propter neceſſitatem imminentem, aut abuſiuè factum ac emendatum ſtatim per canonicam diſciplinam, aut ſuppoſititium & falſiſſimum eſſe hiſtorica vndique monumenta & faſta teſtabuntur: Vbi Orientalem Eccleſiam Occidentali hac in parte conformem extitiſſe Græcorum Patrum authoritates aſ-

ſertinæ oſtendent, & earum quæ fictitiæ opponuntur in contrarium, illuſio detecta confirmabit.

Quàm fraudulentis verò rurſum ac falſariis hypotheſibus eum Galliæ vel Gallorum Principum vſum à ſe inferri putet vt Iudæos vel qualeſcunque infideles ad amplectendam chriſtianam fidem & ad baptiſmum propterea ſuſcipiendum vi cogerent; quàm præpoſterè vel inaniter vel deprauatè id ex Caroli Magni, Chilperici, & Dagoberti primi preſumptitiis ac falſatis exemplis eruere ſe iactet; quàm inſulsè ac parum reuerenter exemplum Siſebuti à Concilio Toletano correctum eos Reges tam canonicę

Concilij correctioni pręluliſſe concludat; quàm injuſtè ac falsò (nedum irreuerenter) ab Hadriano primo id in Carolo-Magno approbatum fuiſſe fingat quod Gregorius primus in aliis quibuſdam improbauit; quàm confidenter & audacter hęc & alia ęquè falſa vel prępoſtera inſultabundus ac triumphans oſtentet, quęſtionis poſterioris diſcuſſio non minùs euidenter pro modo ſuo demonſtrabit.

Quanti hęc porrò momenti ſint ad Eccleſię diſciplinam & inſtitutionem, ad rituum eccleſiaſticorum vniformem obſeruantiam, ad ſacrorum Canonum ſanctionem, ad Pontificum au-

*thoritatem, ad firmitatem Reli-
gionis, ad fidei ſecuritatem, ad
æquitatem juris, aſſerendam
res ipſa per ſe probat: Eóque
magis digna quę pietati tuę quę
amori erga Religionem tuo quæ
tuæ dignitati ſub hoc ſchemate re-
præſentem; & quæ nomini tuo
Illuſtriſſime Abba quaſi gratitu-
dinis pignus appendam, quale
præſentanea occaſio permittit cui
deeſſe ad veritatis defenſionem
non potui. Abſit vt ad priuatas
quibus me appetiit eius interpo-
lator injurias potiùs vlciſcendas
id ſuſceperim, quàm ad Religio-
nem veritatemque vindicandam;
cuius publicum decus violari tam
præpoſteris indigniſque ſcriptio-*

nibus quis patienter ferat? Aut vt acriùs illum pungens, cùm tam neceſſariam ipſe occaſionem dedit, conuitia reddere conuitiis affe-ctauerim; ac non ſolùm id voluerim ſic præſtare, ne ſe vel Eccleſiæ authoritatem eluſiſſe, vel illuſiſſe veritati Religionis, vel vtriuſque defenſoribus inſultaſſe impunè glorietur.

PRÆFATIO.

EADEM diſceptandę huius tractationis quæ aliarum occaſio, neceſſitas eadem; non proprij nominis contra Launoïanas contumelias vindicandi, ſed aſſerendæ contra præpoſteri Critici paſſim obuias fraudes veritatis, & Eccleſiæ contra eius contemptum propugnandæ. Iamdudum incideram in theſim quam ab illo ſuggeſtam notum erat, & in qua præter multas intolerandas cum doctrina communi Antitheſes continebatur vna quædam ad materiam iſtam & inſtitutum ſpectans, quæ ſolennem baptiſmum olim non in

Paſcha tantùm & Pentecoſte ſed in ipſo Epiphaniæ die indifferenter vſitatum fuiſſe aſtrueret: Interfueram quoque cùm eius malèautæ aſſertionis malèautus defenſor ab aduerſis opponentibus vnde aſſertionem illam ſanctionibus Pontificiis repugnantem hauſiſſet vrgeretur; & non aliud niſi Anonymi vagam authoritatem qua tueri ſe videretur in contrarium reponeret; non ſine juſta cordatorum quorumque auditorum commotione qui nominibus tantis & tantam ſibi reuerentiam depoſcentibus Anonymum inuiſum & ignotum indignarentur anteferri. Et quidem ego Anonymum aliquem ſuſpicabar, quem in tenebris latitantem deprehendiſſet Launoius & fido illi ſuò clienti ad inuictam quia inuiſam defenſionem ſuggeſſiſſet; nec Launoi-

niumipſum Anonymo ſignificari ſuccurrerat, cuius nimirum nomen tot aliis tam illuſtribus opponere ſeriò ac in plenam proferre lucem non auderet. Hinc enimuerò in Pantheologia Rayneriana de ieiunio agens & contra illum de carnium iam olim eſu ieiunantibus interdicto diſceptans, poſt inſignes ipſius corruptelas & fraudes manifeſtè conuictas addideram quòd eâ fide teſtimonium Epiphanij deprauaſſet ac textum detruncaſſet, quâ *contra Eccleſiæ decreta euidentia & aperta, nominatimque contra ſancti Leonis primi Pontificiam authoritatem ac ſententiam diſertiſſimis verbis declaratam, baptiſmum olim ſolenniter in Eccleſia ipſo Epiphaniæ feſto Catechumenis datum eſſe contendit; nec id iterum aliunde niſi ex Anonymo illo ſuo tenebricoſo probat, quàm authenticè!*

Grandis ex iſtis illi verbis tum commiſeratio de me propter ſtoliditatem, tum de ſeipſo propter celebrioris famæ indignitatem dolor. *Miſeret me hominis iſtius* (inquit) *qui tam facilè pronuntiat cùm ad pauca reſpicit.* En quàm piam commiſerationem pro me: quam in alias reſeruare occaſiones opportuniùs poſſit, ſi quando me indigere contingat eius ope; cùm valde mihi modò ſuperflua ſit, vt deinceps oſtendam. De ſe autem ſubjungit ſic dolenter: *Si putat Opuſculum meum anonymum eſſe quòd ſim nullius apud literatos nominis, non repugno: Hac in parte non me experietur aduerſarium: Hoc quod ille ſentit, ego ſentio; & magno cum dolore ſentio.* Miſereri me quoque, vt par pari redderem, tam acerbè dolentis oporteret, niſi potiùs riſum poſſet etiam Heraclito modus ipſe dolendi

commouere. Ridebat ipſe (credo) apud ſe ac in ſinu exultabundus geſtiebat, cùm ſe nullius apud literatos nominis tam ſincerè (vt ſolet) fateretur, qui ſe in manus & oculos omnium velut literatorum anteſignanum & aliorum inſcitiæ reformatorem producere ſatagat vehementer, nec literatos verè vllos niſi quos pręſtigiis fortè ſuis aſſentientes habuerit aut dementarit, putet. Annon ridendum verò (velit, nolit) quòd magno cum dolore ſe nullius nominis eſſe ſentit, quia fimbrias nempe ſuas dilatare glorioſiùs & magnificentiùs ambiat? niſi & indignandum quia non plures dolet eſſe ſuorum aberramentorum ſectatores. Abſit vt & ego ſentiam hac in parte quod ipſe ſentit; qui potiùs plurimùm chriſtianè doleo & indignor ipſius nomen tanti apud

incautos quoſdam eſſe vt eos in errorem inducat paſſim, quibus religionis & fidei ſenſus ineſſet integrior, ſi vmbram eius non vidiſſent.

Nec Opuſculum tamen eius omnino cogitaui, cùm Anonymum dixi, quod ab eo conſcriptum neſciebam; ſed ex quibuſdam quiſquiliis erutū arbitrabar, quas euoluere magno ſtudio & labore ſatagit ſemper vt puriores quoſque ſanioris doctrinę fontes puluerulentâ illâ conſperſione ſordidare conetur. Quàm apprimè hoc ipſum in pręſenti tractatione ſicut paſſim alibi pręſtiterit, quàm fœdè mutilarit integra, fallaciter ſincera deprauarit, obliquè planiſſima rectiſſimaque detorſerit, obtusè inſpexerit peruia & in ſenſum tranſuerſum applicarit, confusè implicarit mani-

feſta, ſingulę tibi partes diſcuſſionis huius meę, ſi vel tantiſper attenderis, indubitanter confirmabunt: Indeque intelliges vter juſtiùs miſereri alteri noſtrûm vel alterius commiſeratione indigere videri poſſit; vter ad plura reſpiciens ęquiùs de altero pronuntiare dici debeat vel ſaniùs de illo judicare; vtri veriùs conueniat quod prope finem concludere dignatur de me, συκοφαντεῖν aut βαττταρίζειν (aut vt Lexico nouo gręcizare nos docet βεῤῥαΐζειν) & quantum eius interfuerit (ſicut ab initio pręfatus eſt) vt eiuſmodi tam egregium & auſpicatum Opuſculum quod in latebris quibus ęternis dignum erat aliquandiu retinuit, poſtliminiô tandem in lucem daret ac publicum faceret ex priuato; ſcilicet ad prodendam euidentiùs in om-

nium oculis non obliquè intuentibus fallaciam vel cęcitatem ſuam, ac vtriuſque tam glorioſum decus ex tot aberramentis de quibus à me conuincendus eſt propalandum.

Quadripertitâ porrò generali aſſertionę tractatio hęc tota concludetur, quam in varia ſingulatim capita ſubdiuidam, vt ſuis vnaquęque momentis diſtinctiùs ac expreſſiùs innoteſcat. Prima ſcilicet erit, ſolum Paſchę ac Pentecoſtes tempus pro baptiſmo ſolenni conferendo eſſe ab Eccleſia deſignatum, ac authenticis eius canoniciſque ſanctionibus vel decretis Pontificiis definitum: Altera erit, nullum aliud quàm prędictum vtrumque tempus in Eccleſia Orientali vſurpatum fuiſſe olim, vel à Gręcis Patribus annotatum veluti ex-

prę͏ſcripto & ex communi more vſurpandum; nec niſi ex abuſu vel prępoſtero intellectu notari prorſus vllum poſſe: Tertia erit, illum eundem vſum in Eccleſia Occidentali vniformiter obſeruatum, ſi neceſſitas non obſtaret; vel reſtitutum ſemper ſi quando illum violari contigit aut omitti; ac eius qualemcunque abuſum nouis identidem Edictis reformatum fuiſſe, cùm irrepſit: Quarta pro epilogo cœterarum & ἀνάληψει erit, vtrumque tempus illud ſolenniori baptiſmati adminiſtrando conſecratum, ex veſtigiis quę ſuperſunt antiqui vsûs & in omnibus paſſim Eccleſiis conſeruata ſunt manifeſtè concludi; ac prędicta omnia inanibus & ridiculis analogiis à Launoïo ſibi ipſi contradicente ſic eludi vt illudere non tam

nobis quàm ſibi dici poſſit. Nunc per ordinem ſeriatim ſingula exequamur.

SYNOPSIS

Rerum quę ſummariè in hoc breui Tractatu continentur.

1 DVO tantùm tempora pro ſolenni baptiſmo conferendo fuiſſe olim conſtituta, & canonicis Eccleſiæ Decretis definita pag. 1.

2 Quo ſenſu Eccleſiæ Decreta dici poſſint quæ legem illam ſtatuerunt 3.

3 Multiplici Leonis Papæ primi authoritate id conſtare, quæ referuntur plenis verbis 5. &c.

4 Lannoïanæ illuſiones ad Leonis authoritatem eludendam exploſæ ac excuſſæ 14.

5 Quàm inepta ſit prima illius eluſio vel illuſio & Catholicæ praxi contraria. 15. &c.

6. Quàm imperita, nugax, & maligna ſecunda, verum ſenſum detorquens & obſcurans. 22.

7 Quàm fraudulenta, fallax, & im-

ẽ

prudens tertia, textum truncans vel diſſimulans cuius integritate conuincitur. 24.

8 *Quàm falſa quarta & chimerica, ex fictitiis hypotheſibus & ex verbis ad inſtitutum nihil planè pertinentibus diuinata.* 28.

9 *Siricij Decreto multis ante Leonem annis idem fuiſſe conſtitutum, tametſi poſteriùs per explicatam ibi occaſionem referatur.* 31. &c.

10 *Quæ nugamenta contra Decretum illud Launoïus opponat vt etiam impoſſibile probet, aut vt loquitur ἀδύνατον.* 34.

11. *Ex falſis rurſum & fictitiis hypotheſibus infrà pleniùs explodendis hæc nugamenta peti.* 37.

12 *Illuſoriam planè interpretationem Decreto Siricij non explicando ſed explodendo à tam prauo Expoſitore ac peruerſo affingi, quam interim* benignam *quaſi ridens vocare non veretur.* 40.

13 *Gelaſium poſt Siricium & Leonem idem quod illos de re præſenti decreuiſſe.* 42.

14 *Authoritatem Gelaſij à Launoïo nu-*

gaciter in alterutram partem ventilari; nunc eam intra fines Romanos includente; nunc ab aliis Prouinciis quaſi directam ad ſe præſumentibus eſſe ſuſceptam admittente. 44.

15 *Hieronymi ſincerum dictum & ad alium planè ſenſum pertinens, fraudulenter à præpoſtero Interprete contra illius mentem euidenter alibi declaratam ad reſtringendam Papæ authoritatem detorqueri.* 45.

16 *Gregorium ſecundum ad prædictos tres Pontifices accedere vt idem quoque obſeruandum decernat quod iam vnanimiter decreuerant* 47.

17 *Ridiculè à Launoïo ſic intelligi quaſi Romanæ tantùm diſciplinæ ac obſeruationis aſſertorem, qui tamen illud ipſum Bonifacio ad Germanos proficiſcenti obſeruandum proponit ac præſcribit.* 49.

18 *Tam imprudenter tamen Gregorium hunc* multorum inſtar *ab eo dici, cuius authoritatem profert ab inſtituto ſuo tam euidenter alienam & ſibi ipſi tam aduerſam.* 50.

19 *Nugari Launoïum circa minuta quædam nec obſeruatu digna propter indi-*

cem Gratiani corruptum, vel Iuonis pratenſam corruptelam. 51.

20 *Falsò prætexi & injuſtè quòd Gregorius Magnus aliud à prædictis Pontificibus in hac ipsâ re cenſuerit.* 52.

21 *Manifeſtum potiùs eſſe vel ex variis eius locis colligi quòd fuerit cum illis vniformis.* 55. &c.

22 *In Eccleſia ipſa Orientali vſum eundem in Paſchate & Pentecoſte tantùm ordinariè baptizandi fuiſſe ſemper obſeruatum.* 59.

23 *Ex Hieronymo, ex Chryſoſtomo, ex Baſilio, ex eius fratre Gregorio Nyſſeno id haberi.* 61. &c.

24 *Gregorium Nazianzenum & Chryſoſtomum ipſum pro baptiſmo Epiphaniæ à Launoïo fallaciter vel imperitè oſtentari.* 65.

25 *Quàm alieno ſenſu Gregorij Nazianzeni teſtimonia quædam ad inſtitutum ſuum detorſerit.* 67. &c.

26 *Multò magis ineptè, nugaciter, ac imperitè detorſiſſe ad aquam baptiſmalem vel ad baptiſmi vſum quod Chryſoſtomus euidenter de aqua ſolùm eo die à Græcis benedici ſolitâ dixit.* 74. &c.

27 *Rituale Græcorum ſimiliter ab eo detorqueri vt præſumatur de baptiſmo intelligere quod ſolummodo de majori ſiue celebriori aquæ ſanctificatione ac benedictione refert.* 79. &c.

28 *Illuſoriè tam Theodorum quàm Cedrenum ab eo intelligi vel ſic vtrumque de re iſta intelligendum exhiberi.* 84.

29 *Prati ſpiritualis valde dubiam & incertam narrationem ac alteri eiuſdem quoque narrationi contrariam fruſtra in hanc rem inculcari.* 86.

30 *Theophanem & Paulum Diaconum ab extraordinario quod narrant facto ad communem ſiue ordinarium vſum obliquè detorqueri.* 89.

31 *Ruperti quoque teſtimonium ænigmaticum & obſcurum tanquam aſſertionem iſtam certò probans antedictis adjungi otioſè.* 91.

32 *Prætexi fictitiè quòd Siculorum vſus quem reprehendit Leo deriuatus à Græcis ad Siculos fuerit, & quòd græcâ dumtaxat linguâ tunc etiam Siculi vterentur.* 93. &c.

33 *Quàm ineptè me fratrem Launoïus Magiſter accuſandum putarit quòd illius aſſertionem de baptiſmi ſolennis*

vſu in Eccleſia Occidentali nouam dixerim ſiue inuſitatam. 97.

34 *Pro Eccleſiæ Africanæ Paſchali vſu & Pentecoſtes in baptiſmo ſolenni conferendo teſtimonium Tertulliani à Launoïo ipſo recenſitum.* 99.

35 *Victoris Vticenſis narrationem pro baptiſmo Epiphaniæ ac illius ordinario apud Africam vſu aſtruendo fruſtra vrgeri, cum ex illâ integrè reſtitutâ manifeſtum ſit ob extraordinariam cauſam ac ex neceſſitate factum eſſe quod Carthagine tunc factum eſt.* 101. &c.

36 *Quàm ridiculâ mentis emotione agitatus Magiſter extaticus exclamet in me fratrem vt viuicomburio dignum quòd baptiſmi ſolennis vſum licèt à Deo miraculis vt fingit comprobatum tam nefariè rejiciam.* 105. &c.

37 *Quàm fictitiè miraculum ab Eugenio Epiſcopo in illuminatione cœci tunc factum, non aliam ob cauſam factum eſſe prætexat, quàm ad ordinarium baptizandi eodem die vſum confirmandum.* 106.

38 *In Eccleſia Gallicana baptiſmum Paſchæ tantùm & Pentecoſtes ex primæua Traditione propter teſtimonia*

tum Gregorij Turonenſis tum Fortunati Pictauienſis à Launoïo ipſo agnoſci & admitti. 109.

39 *Ex Gregorij Turonenſis teſtimonio quadruplici variis hiſtoriæ Francorum locis inculcato id euidenter notum eſſe.* 109. &c.

40 *Non minùs euidenter ex Fortunato Pictauienſi, potiſſimùm duobus locis ex illius Carminum libro tum tertio tum quinto ſumptis, id conſtare.* 113.

41 *Quàm ineptâ loquutione Traditionem primam dicat baptiſmo conferendo Natalem Chriſti adjunxiſſe, cùm agnouerit eam ſolis diebus Paſchæ vel Pentecoſtes definitam.* 115.

42 *Auiti Viennenſis teſtimonium præpoſterè ab eo intelligi vt ad baptiſmum ipſo die Natalis Chriſti Clodouæo collatum ex præſumptâ & falsâ hypotheſi obliquè detorqueat.* 116.

43 *Fredegarij teſtimonio hiſtorico ex Rhemenſibus monumentis eruto Rhetoricam Auiti Viennenſis loquutionem anteponi, licèt alio ſenſu explicandam.* 118.

44 *Eos qui malunt aſſentiri Fredegarij clariſſimo teſtimonio rem poſitiuè aſſe-*

renti quàm rhetoricis ambagibus Auiti nihil tale aſſerentibus, temeritatis ac ſtultitiæ præſumptitiæ verâ potiùs Launoïj temeritate ac ſtultitiâ perquam indignè accuſari. 119.

45 *Clodouæi conuerſionem inchoatam ſed non baptiſmum die Natalis Chriſti celebratum ſignificari ab Auito, vt verba eius præ ſe ferunt.* 121.

46 *Non eſſe recurrendum pro explicandis eius verbis ad ſymbolicam & myſticam loquutionem quæ pro Natali Paſcha vel viciſſim Natalem pro Paſchate intellexerit: Sed inſulſum nihilominus eſſe vt Launoïus id ab aliquo dictum reprehendat; quaſi dicere idem de Pentecoſte potuiſſet.* 123.

47 *Paſcha Natalem quendam Chriſti ex Chryſologo, Beda, Maximo Taurinenſi, & Auguſtino, ac inter Græcos Gregorio Nyſſæno dici poſſe; ſed ridiculè idem de Pentecoſte ac abſurdè præſumi.* 124.

48 *Fredegario ad illius teſtimonium infirmandum errores fictitios aſcribi & iniuſtos.* 127.

49 *Quòd ſeipſum Hincmarus & alios eodem teſtimonio deceperit, baptiſmum*

Clodouai ſcilicet non in Chriſti Natali ſed in Paſchate celebratum aſſerens, delirium Launoïanum eſſe. 128.

50 *Flodoardi teſtimonium longè luculentius antedictis à Launoio prætermitti: An ignoranter, quia non legit? an potiùs obtuſo aſtu fraudulenter, quia nihil ſubeſſe ſibi quod opponeret intellexit?* 130.

51 *Ebredunenſe miraculum in baptiſmali fonte annuatim Sabbato ipſo Paſchæ renouari ſolitum ad Natalem potiùs Chriſti ex incerto rumore detorqueri, qui ſic incertus quoque à Gregorio Turonenſi obiter exhibetur.*

52 *Adonis Viennenſis hoc miraculum in Paſchate fieri aſſerentis teſtimonium finitimum & aſſertiuum præ Gregorio Turonenſi remotiſſimo & incerta obiter indicante repudiari ob ridiculas ratiunculas & inani prætextu ac inepto.* 134.

53 *Eo magis ineptè, ridiculè, propudiosè hoc Adonis teſtimonium à Launoio repudiari, quò magnificentiùs in Martyrologio Gallicano ſic illud approbauit vt nec tantiſper dubitare de illo quemquam qui ſit homo affirmauerit conſi-*

ã u

denter, quaſi iam ipſe non ſit homo. 136. &c.

54 *Ex Gregorij Turonenſis narratione in tranſuerſum & præpoſterè intellectã Galliam vel in die Natali Chriſti vel Ioannis Baptiſtæ baptizare ordinario vſu conſuetam fictitiè colligi, contra ipſius Gregorij apertiſſimum ſenſum iam ſuperiùs explicatum.* 142.

55 *Extra chorum ſaltare Launoium & ſibi ipſi ludum facere cùm Ioannis Baptiſtæ natiuitatem tam celebrem fuiſſe olim vrget vt tres in ea Miſſas propter triplicem eius prærogatiuam celebrari conſueuiſſe ſacri Authores notent; quaſi vſum inferre inde poſſit quem nulli prorſus notant.* 146.

56 *Perinde illum nugaciter ludere, cùm id ex Patrum de Ioanne Baptiſta ſermonibus colligi fingit, vbi nec vmbrã tenus indicatur.* 147.

57 *Quàm Conciliis Gallicanis illudat vt eorum etiam eludere authoritatem poſſit, aut priuatam dumtaxat ex publica, particularem ac localem ex generali & vniuerſa nationali exhibeat.* 151.

58 *Eo fallaci, fraudulento, & falſario*

ſine Matiſconenſe Concilium quod Nationis Gallicanæ totius fuit, ſimpliciter adjungi Concilio Altiſſiodorenſi Diœceſano tantùm, quaſi nihilo maius eſſet. 156.

59 *Miram & mirè ridiculam nugacitatem eſſe ac ineptam admodum fraudem, vt Eccleſiam Gallicanam ex tribus Epiſcopis baptiſmum Clodouæi quaſi die Natalis Chriſti datum fictitiè approbantibus compoſuerit, & nunc tamen in Concilio Matiſconenſi totam verè interfuiſſe diſſimulet vbi aliter ſtatutum eſt.* 158.

60 *Nihil ibi de miraculo Ebredunenſi vel de Auito Viennenſi quaſi baptiſmum die Natalis Chriſti datum teſtificante dictum eſſe, quamuis Ebredunenſis Epiſcopus & Viennenſis præſens eſſet.* 159.

61 *Quàm in apertam ſui confuſionem ex Capitularibus Caroli-Magni & Ludouici Pij ad Leonis Decretum reſpicientibus conſtare fateatur quòd non alia pro baptiſmo tempora quàm Paſchatis & Pentecoſtes in toto regno Gallicano vſurpata ſint; & ſimiliter ex Concilio Meldenſi quòd hæc fuerit ge-*

ẽ vj

neralis Gallorum diſciplina. 161.

62 *Quàm in apertum quoque (ſi verum eſſet) Normaniæ dedecus, anno tantùm* 1072. *diſciplinam hanc ibi receptam eſſe ſingat, quamuis quingentis ante annis Rhotomagenſis Epiſcopus in Concilio Matiſconenſi adfuiſſet, vbi eam in omnes Prouincias ab Epiſcopis reportari & introduci ſancitum eſt.* 165.

63 *Falsò & contradictoriè Anglicanam ſeu Britannicam Eccleſiam pro vſu baptizandi extra tempora Paſchæ vel Pentecoſtes in exemplum adduci, cùm ex eius Decretis à Launoio ipſo ſui oblito recenſitis contrarium omnino eruatur.* 170.

64 *Illuſorium eſſe quòd in Chriſti Natali baptizandi morem ex Gallia deſumptũ in Angliam introduxerit Auguſtinus; aut Gregorius-Magnus illum authoritate ſua confirmauerit, quia recens conuerſos propter neceſſariam cauſam & extraordinarium caſum tunc baptizatos gratulatus eſt.* 172.

65 *Quàm imprudenter ſibi & à ſe dictis contradicat vt paſſim ſolet malè cautus Criticus, cùm* veterem Angliæ

diſciplinam *ad ſolum Paſchæ vel Pentecoſtes tempus pro baptiſmo reſtringit, ſub Legato Pontificio in Concilio Londinenſi contra inductum poſterius abuſum renouatam.* 174.

66 *Hiſpanienſem pro baptiſmo Natalis Chriſti diſciplinam ex fictitio vno exemplo Gerundenſis Canonis deprauati colligi fraudulenter, ac vſum ex abuſu inferri, ſi quis fuit.* 180.

67 *Vualafridi exemplar qualecunque contra omnium aliorum Exemplarium fidem (quamuis manuſcriptorum & vetuſtorum ab Iuone, Burchardo, Gratiano vſurpatorum) faſtuosè opponi, ac defendi cum ridiculâ fictione.* 184.

68 *Figmento nouo ſed obtuſo baptiſmum in Octaua Epiphaniæ apud Germanos vſurpatum prætendi; licèt ex Vualafrido ipſo, Amalario Fortunato, Rabano Moguntino, Burchardo Vuormatienſi, qui Germani fuerunt omnes, ac præterea ex Concilio Vuormatienſi, Moguntino, Triburienſi, Colonienſi contrarius baptiſmi Paſchæ tantùm ac Pentecoſtes vſus vt legitimus eruatur.* 188. 190. &c.

69 *Ex Annalibus Fuldenſibus qui Bohemorum Duces procul à terra ſua quam propterea reliquerant, ob ſummam illam neceſſitatem in Octaua Epiphaniæ baptizatos referunt, vſum ordinarium ſictitiè colligi contra teſtimonia ſupradicta.* 195.

70 *Quas non illuſiones phantaſticus Criticus vndequaque congerat vt in ipſa Epiphaniæ prima die intelligatur factum quod in Octaua ſpeciatim refertur factum eſſe, aut alterutrum perinde ſit; quamuis repugnent illa ipſa exempla quæ producit.* 196. &c.

71 *Rauennatenſe Concilium anno* 1314. *habitum, prætermiſſo interim anni* 1311. *expreſſiori Concilio, ad aſtruendum Epiphaniæ vel Octauæ baptiſmum ex obtuſâ non minùs quàm fallaci & fraudulentâ hypotheſi proferri, cùm ex eo nec vmbrâ tenus tale quiddam elici poſſit* 202. &c.

72 *In Concilio Rauennatenſi poſteriori quod recenſet ac expreſſiùs in priori quod prætermittit Sacerdotibus iuſſum eſſe vt ob neceſſitatem laicorum docerent formam baptizandi, ſed non vt baptizarent; cùm idem in aliis diebus*

& aliis etiam Eccleſiis vbi baptiſmus non dabatur admoneatur faciendum. 206.

73 *Ridiculum omnino eum eſſe cùm fictitij vsûs originem à nullo edi poſſe tam otiosè notat, ac ſaltem tempus quo non incepit fictitiis inquirit conjecturis.* 209.

74 *Eò amplius ridiculum, quia in illa tam nugaci notatione ſibimet ipſi contradicit, & falſitatis à Chryſologo conuincitur.* 211.

75 *Ægyptios eodem die Natiuitatem Chriſti & illius Epiphaniam celebrantes fruſtra ex Caſſiano annotari, vt in Epiphania baptizatus intelligatur qui baptizatus eſſet in Natali: Sed quid tum vt probetur baptiſmus eo die ab Ægyptiis datus? quod Caſſianus non indicat.* 212.

76 *Baptiſmum Paſchæ ac Pentecoſtes cuius aliqua etiamnum generalia veſtigia ſuperſunt, vt antiquam traditionem vniuerſalis Eccleſiæ ab Apoſtolis deriuatam nunc Launoium ſibimet ipſi contradicentem agnoſcere.* 215.

77 *Mox illum tamen ad priora redire nugamenta, ut ex analogiis futilibus*

& fictitiis congruentem Natali Chriſti vel Ioannis vt & Epiphaniæ feſto celebrandi baptiſmi rationem aſtruat fraudulenter. 218.

78 *Quàm nugaciter vel exemplum baptiſmi Chriſti, vel Gregorij Nazianzeni & Chryſoſtomi teſtimonia, vel Eugenij Carthaginenſis miraculum recantet, cùm iam iſta tam clarè diſcuſſa ſint & contra illum reuibrata.* 220.

79 *Impertinenter Hieronymum pro aſtruenda Epiphaniæ analogia nihil tale dicentem inculcari, & alioqui ſolum Paſchæ ac Pentecoſtes tempus pro ſolenni baptiſmo aſtruentem.* 222. *&c.*

80 *Impertinenter Auguſtinum, qui nec in ſermonibus Epiphaniæ à Launoio recenſitis tale quidpiam dicit, & in Sabbato tamen Paſchæ ac Pentecoſtes recipiendum illo vtroque die vel receptum Baptiſmum ſignificat.* 229.

81 *Impertinenter quoque Maximum Taurinenſem, qui ſimiliter in ſermonibus Epiphaniæ nec minimum verbulum dicit quod ad baptiſmum eo die ſuſcipiendum pertineat; quamuis in*

feſto Paſchæ homil. 2. & homil. 5. vt & in feſto Pentecoſtes homil. 3. conferendum tunc vel collatum indicet aut ſupponat. 232.

82 *Impertinenter eò magis Iuonem Carnotenſem, qui eo quem recenſet prolixè Launoius, decimo nempe ſermone qui de Epiphania inſcribitur, nullam baptiſmi conferendi omnino facit mentionem; ſermone autem primo quem Launoius prætermittit, & de baptiſmo Neophytorum agit, eum Sabbato Paſchæ ſuſcipiendum ſignificat.* 236.

83 *Irreuerenter (quidni & impudenter) ex Leonis rationibus pro baptiſmo in Pentecoſte conuenienter conferendo allatis contra eum colligi quòd in Epiphania congruenter non minùs conferatur ob illas ipſas præſumptitias rationes quas Leo ipſe vt incongruas & irrationabiles reprehendit.* 239.

84 *Irreuerenti ſimiliter (ne rurſus dicam impudenti) confidentiâ multiplices Leonis de Natali ſermones inaniter congeri, vt ex illis baptiſmus eo die congruè conferendus contra ipſius mentem tam alibi expreſſam conclu-*

datur. 241.
85 *Quàm inaniter primus oſtentetur, adulteratis verbis & falſo ſenſu deprauatis.* 243.
86 *Quàm imprudenter & ineptè ſecundus.* 245.
87 *Quàm fruſtraneè quoque ac extra rem tertius, quintus, ſextus, ſeptimus, & octauus.* 248. &c.
88 *Quàm indignè ſubinde inſultare Leoni auſit, quaſi ſuppeditarit rationes quibus Decretum eius de baptiſmo ſolenni Paſchæ ac Pentecoſtes vt irrationabile abdicetur.* 253.
89 *Quæ venenoſa, toxicata, pernicioſa cacopharmaca pro antidotis quæ oſtentat & ſpondet exhibeat.* 255.
90 *Quibus fucis obducat miſeranda pharmaca ſua ne talia videri poſſint qualia ſunt; & primò quidem ex Hieronymo ſumptis.* 256.
91 *Item ex Auguſtino.* 258.
92 *Ex Ferrando etiam Diacono.* 291.
93 *Ex Gregorio Magno.* 264.
94 *Ex Fulberto.* 267.
95 *Ex Anſelmo.* 269.
96 *Ex Guiberto Nouigentino.* 271.
97 *Ex Alexandro 3. Eccleſiam Roma-*

nam exhibente. 274.
98 *Ex Reſcripto Stephani Tornacenſis ad Papam.* 279.
99 *Quàm inſulsè vel ignoranter ea tantùm vniformiter obſeruanda vbique putet quæ ad fidem pertinent; adeoque inepto faſtu, ac ridiculo (vt ita dicam) thraſoniſmo* captos, conſtrictos, nullos, victos, confoſſos ac diſruptos *inferat eos qui varium baptiſmi morem negant, ſiue ad fidem pertinere affirment, ſiue dicant non pertinere. Vah! miſerandam ſortem.* 283. &c.
100 *Quàm nugaciter ex varia Editione Pſalterij quam Eccleſia probat, varium conferendi baptiſmi ritum quem Eccleſia improbat, ſimiliter nihilominus erui velit; & propterea Bedæ variam Pſalterij Editionem approbanti præ mei metu miſereri ſe ſignificans, ridiculâ ſic eum apoſtrophe inclamet valde dolens,* O Beda venerabilis anáthema tibi dicet Frater.
101 *Tot ridiculis miſerrimi Tractatûs extaſibus ac nugamentis hanc digniſſimam coronidem imponi, quaſi nouum effuſioris riſûs argumentum, qua Opuſculum illud ſuum per tot commentitias*

munitiones collocatum in tuto ſibi fingit, & à Bellerophontæarum ſollicitudinum metu defenſum *eſſe addit; non intelligens quàm egregium eĩ elogium aſcribat, cùm comparat Chimera quam dicitur interfeciſſe Bellerophon. Euge Launoi! Veriori vix illud poſſis nomenclaturâ inſignire!*

SVMMA PRIVILEGII.

CHRISTIANISSIMI Regis Ludouici Auguſti Adeodati XIV. priuilegio indultum eſt Fratri IOANNI NICOLAI Ordinis Prædicatorum Doctori Theologo Pariſienſi vt Theologum ſuum Oecumenicum, id eſt de rebus ad materias Oecumenicas pertinentibus diſſerentem, per Typographum quem voluerit imprimi ac excudi faciat, nec alius quiſpiam imprimere vel excudere ſine alterutrius nutu poſſit, ſicut in autographo & authentico Diplomate plenius continetur.

Subſignatum PELISSIER.

Regiſtratum E. MARTIN.

PROINDE duas *de antiquo Baptiſmi vſu Diſſertationes* ad legitimum conferendi baptiſmi tempus ab Eccleſia olim obſeruatum, & ad ba-

ptiſmum Iudæorum aut aliorum quorumlibet Infidelium pertinentes quæ Tractationis antedictæ partem faciunt, per IOANNEM COVTEROT Typographum Iuratum cum tenore priuilegij ſupradicti ac pleno quantum ad iſtam partem illius vſu edi poſſe conſentit ac diuendi: Et huius rei fidem ſubſcriptione ſui nominis facit idem qui ſuprà Frater IOANNES NICOLAI.

ICENTIA SVPERIORIS.

HEOLOGVM Oecumenicum Reuerendi P. Fratris IOANNIS COLAI Ordinis noſtri Fratrum edicatorum Doctoris Theologi iſienſis & Profeſſoris, Ego infra ptus Doctor Theologus Pariſien- & Profeſſor, ac Prouinciæ Pariſis Prouincialis, typis mandari ad licam vtilitatem permitto. Datum iſiis in majori Conuentu & Colo ſancti Iacobi ſub ſigno manuali fficij ſupradicti ſigillo, die octauâ ıſis Auguſti, anno Domini 1666.

. OLIVARIVS RICHECOEVR humilis Prior Prouincialis.

Regiſtrata folio 13. F. Benedictus CARRON Baccalaureus & Socius.

Approbatio Magiſtrorum.

VTRAMQVE *De Baptiſmi antiquo vſu Diſſertationem*, quantum ad legitimum eius adminiſtrandi tempus, & quantum ad Iudæos vel qualeſcunque Infideles nonniſi ſponte baptizandos aut in Gallia ipſa baptizari conſuetos, à R. Patre F. IOANNE NICOLAI editam ac diſcuſſam, Nos infraſcripti ſacræ Theologiæ in Facultate Pariſienſi Doctores, tanquam ſanam, ſinceram, orthodoxam, & Eccleſiæ inſtituto, ſenſui, praxi conſentaneam luce publicâ dignam ad contrarios refutandos abuſus judicamus.

F. IACOBVS LOVVET.

F. LVDOVICVS DE GVIBERT.

PRIMA

PRIMA PROPOSITIO

Duo tantùm tempora in ſolenni baptiſmo citra neceſſitatem conferendo fuiſſe olim obſeruanda euidentibus Eccleſiæ Decretis planè conſtat: Nimirum Paſcha & Pentecoſten.

HOc in Pantheologia Rayneriana obiter tantùm quaſi per appendicem inſinuaram, vt in iſtius Diſſertationis Præfatione recenſui ac meis ipſe verbis in ſuâ recenſuit. In eam enimuerò notationem meam ſic debacchatur vt extaticum putes; & qui ab initio miſerebatur mei tantùm quòd pauca reſpiciens facilè tamen contra illum pronunciarem (vt in eadem Præfatione indicaui) nunc miſericordiâ in furorem conuersâ miris me modis exagitat quòd indicatas à

me ſummorum Pontificum, ac expreſſiùs Leonis primi nominatim, in eiuſmodi materia merè ſpirituali decretorias leges & ſanctiones *Eccleſiæ Decreta* nuncuparim. Hinc illa eius Corollario 21. phanatica exclamatio: *Vbinam ſunt euidentia & aperta illa Eccleſiæ Decreta quæ prohibeant ne in Theophaniis baptiſmus detur ſolennior? Quibus in Oecumenicis Conciliis edita ſunt illa Decreta? In Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſino, Chalcedonenſi? quæ Concilia quatuor Gregorius Magnus vt Euangelia quatuor reuereri ſe dicit:* Ac ſubinde in exaggerationes ridiculas quæ ſuis locis ad ludibrium notabuntur aſſurgit; quaſi agat cum infantibus quos terriculamenta tam inania commoueant. Id vnum nunc eſt ad rem præſentem expendendum quàm grandi piaculo Decreta illa quæ baptiſmum ſolenniorem extra Paſcha & Pentecoſten celebrare prohibuerunt, *Eccleſiæ Decreta* vocauerim, licèt in Conciliis Oecumenicis nuſquam edita poſſim inuenire, vt illis verbis vrget. Non me rapiet vltra metam; nec ego eum ſic abreptum extra ſe ac per

deuia excurrentem & à tramite recto digredientem ſequar. Mihi ſufficit, eo ſenſu *Decreta Eccleſiæ* vocaſſe quæ à ſummis Pontificibus edita ſunt, quo ſenſu dixit Auguſtinus Tractatu 124. in Ioannem ſub finem quòd virtute clauium quas *ad liganda ſoluendaque peccata primus Apoſtolorum Petrus accepit* (vt loquitur) *non ſolus ipſe ſed vniuerſa Eccleſia ligat ſoluitque peccata*; quod vtique per Pontifices ipſos & Sacerdotes facit, ac in ſolis Oecumenicis Conciliis facere ridiculè admodum diceretur : Eo etiam ſenſu quo Chryſoſtomus homiliâ ſexageſimâ primâ in Matthæum explicat illud ex Matth. 18. *Dic Eccleſiæ* ob eorum correctionem qui priuatas correctiones & admonitiones neglexerint : *Hoc eſt Præſidentibus*, inquit, *ac Præſulibus* (προεδρεύουσιν) Eo ſenſu quo Gloſſa ibi addit : *Poſt hæc ſequatur excommunicatio quæ fieri debet per os Eccleſiæ, id'eſt per Sacerdotem ; quo excommunicante tota Eccleſia cum eo operatur :* An & hoc tantùm in Conciliis Oecumenicis? Eo ſenſu quo Iuo Carnotenſis in Prœmio ſui Decreti dixit : *Excerptiones Eccleſia-*

ſticarum regularum partim ex Epiſtolis Romanorum Pontificum, partim ex geſtis Conciliorum Catholicorum Epiſcoporum, partim ex Tractatibus Orthodoxorum Patrum, partim ex inſtitutionibus Catholicorum Regum in vnum corpus adunare curaui; ſic *Eccleſiaſticas regulas* vocans, quas non in Conciliis Oecumenicis tantùm ſed in aliis quibuſcunque ac à Romanis Pontificibus in Eccleſiæ bonum editas reuerenter ab Eccleſiâ ipsâ ſuſceptas eſſe obſeruataſque ſignificat. Cur eo ſenſu non dicerem *Decreta Eccleſiæ?* quę nempe vndecunque collecta & compacta in vnum Decretorum vel Canonici Iuris Corpus vbique vſurpatum recepit; quæ veluti regulam juridicam, vt præ ſe fert ipſum Canonis nomen, communiter ſeruandam propoſuit; quæ Canonibus eius interſeruit ac Decretis, etſi Pontificia tantùm & Pontificum nomen à quibus emanarunt exprimentia; quæ recipere ſe ac amplecti Facultas ipſa Pariſienſis juramento ſolenni profitetur; & *Eccleſiaſticas Conſtitutiones* nihilominus vocat quæ jeiunium vel à carnibus abſtinentiam præſcripſerunt, ante-

quam vllum Oecumenicum Concilium expreſsè circa illam obſeruantiam præceſſiſſet; cùm poſterius Tridentinum fuerit, in quo nec id expreſsè definitum inculcat peruerſus hic ac præpoſterus contradictor. Ita eſt ingenium hominis nunquam ſuum, nunquam conſiſtens in ſe, nunquam niſi contradicendo ſibi conſtans.

Velit igitur, nolit, aſſertionem eius aduerſariam Eccleſiæ Decretis vſu ipſo corroboratis & firmatis oſtendam, quia ſummorum Pontificum Decretis repugnantem, quæ in communem Eccleſiæ conſenſionem, vſum, obſeruantiam, tranſierunt.

Quoniam verò nominatim Leonem expreſſeram, & in Leonis potiſſimùm authoritate vellicandâ quaſi eius non timens vngues, ac Emblematis quodammodo leporem imitatus, audacter ludit, exordiamur à Leone.

in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus, vt quomodo ſurrexit à mortuis, ita & nos; *& cætera quæ latiùs Magiſter gentium ad commendandum Sacramentum baptiſmatis diſputauit: Vt appareret ex huius doctrinæ ſpiritu regenerandis filiis hominum & in Dei filios adoptandis illum diem electum, in quo per ſimilitudinem formamque myſterij ea quæ geruntur in membra his quæ in ipſo capite ſunt geſta congruerent:* Vt & mox: *Ipſa igitur operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ eum eſſe legitimum diem in quo orta eſt & virtus muneris & ſpecies actionis. Ad cuius rei confirmationem plurimùm valet quòd ipſe Dominus Ieſus-Chriſtus poſteaquam reſurrexit à mortuis diſcipulis ſuis in quibus omnes Eccleſiarum Præſules docebantur & formam & poteſtatem tradidit baptizandi: De quo vtique eos etiam ante paſſionem potuiſſet inſtruere, niſi propriè voluiſſet intelligi regenerationis gratiam ex ſua reſurrectione cœpiſſe.* Tum ſubiungit quod Launoïus quoque refert: *Additur ſanè huic obſeruantiæ etiam Pentecoſtes ex aduentu Spiritus-ſancti conſecrata ſolennitas quæ de Paſchalis feſti pendet ar-*

ticulo. Et cùm ad alios dies alia feſta pertineant, hæc ſemper ad eum diem qui reſurrectione Domini eſt inſignis, occurrit; porrigens quodammodò auxiliantis gratiæ manum, vt hi quos à die Paſchæ aut moleſtia infirmitatis aut longinquitas itineris aut nauigationis difficultas interclusit inuitos aut quibuſlibet neceſſitatibus impeditos, deſiderij ſui effectum dono Spiritus-ſancti conſequantur. Quod & cap. 4. non ex perſuaſione ſuâ ſed ex authoritate Apoſtolicâ deſcendere Beati Petri exemplo probat qui eo die tria hominum millia baptizauit; & prætermittit rurſum Launoïus.

Tum in capite 5. *Vnde quia manifeſtiſſimè patet, baptizandis in Eccleſia electis hæc duo tempora de quibus loquuti ſumus eſſe legitima, dilectionem veſtram monemus vt nullos alios dies huic obſeruantiæ miſceatis.*

Denique in cap. 6. *Quia etſi ſunt alia quoque feſta quibus multa in honorem Dei reuerentia debeatur, principalis tamen & maximi Sacramenti cuſtodienda nobis eſt myſticæ rationis exceptio; non interdictâ licentiâ qua in baptiſmo tribuendo, quolibet tempore, periclitantibus*

ptiſmum Iudæorum aut aliorum quorumlibet Infidelium pertinentes quæ Tractationis antedictæ partem faciunt, per IOANNEM COVTEROT Typographum Iuratum cum tenore priuilegij ſupradicti ac pleno quantum ad iſtam partem illius vſu edi poſſe conſentit ac diuendi: Et huius rei fidem ſubſcriptione ſui nominis facit idem qui ſuprà Frater IOANNES NICOLAI.

LICENTIA SVPERIORIS.

THEOLOGVM Oecumenicum Reuerendi P. Fratris IOANNIS NICOLAI Ordinis noſtri Fratrum Prædicatorum Doctoris Theologi Pariſienſis & Profeſſoris, Ego infra ſcriptus Doctor Theologus Pariſienſis & Profeſſor, ac Prouinciæ Pariſienſis Prouincialis, typis mandari ad publicam vtilitatem permitto. Datum Pariſiis in majori Conuentu & Collegio ſancti Iacobi ſub ſigno manuali & officij ſupradicti ſigillo, die octauâ menſis Auguſti, anno Domini *1666.*

F. OLIVARIVS RICHECOEVR
humilis Prior Prouincialis.

Regiſtrata folio 13. F. Benedictus
CARRON Baccalaureus
& Socius.

Approbatio Magiſtrorum.

VTRAMQVE *De Baptiſmi antiquo vſu Diſſertationem*, quantum ad legitimum eius adminiſtrandi tempus, & quantum ad Iudæos vel qualeſcunque Infideles nonniſi ſponte baptizandos aut in Gallia ipſa baptizari conſuetos, à R. Patre F. IOANNE NICOLAI editam ac diſcuſſam, Nos infraſcripti ſacræ Theologiæ in Facultate Pariſienſi Doctores, tanquam ſanam, ſinceram, orthodoxam, & Eccleſiæ inſtituto, ſenſui, praxi conſentaneam luce publicâ dignam ad contrarios refutandos abuſus judicamus.

F. IACOBVS LOVVET.

F. LVDOVICVS DE GVIBERT.

PRIMA

PRIMA PROPOSITIO

Duo tantùm tempora in ſolenni baptiſmo citra neceſſitatem conferendo fuiſſe olim obſeruanda euidentibus Eccleſiæ Decretis planè conſtat: Nimirum Paſcha & Pentecoſten.

HOc in Pantheologia Rayneriana obiter tantùm quaſi per appendicem inſinuaram, vt in iſtius Diſſertationis Præfatione recenſui ac meis ipſe verbis in ſuâ recenſuit. In eam enimuerò notationem meam ſic debacchatur vt extaticum putes; & qui ab initio miſerebatur mei tantùm quòd pauca reſpiciens facilè tamen contra illum pronunciarem (vt in eadem Præfatione indicaui) nunc miſericordiâ in furorem conuersâ miris me modis exagitat quòd indicatas à

me ſummorum Pontificum, ac expreſſiùs Leonis primi nominatim, in eiuſmodi materia merè ſpirituali decretorias leges & ſanctiones *Eccleſiæ Decreta* nuncuparim. Hinc illa eius Corollario 21. phanatica exclamatio: *Vbinam ſunt euidentia & aperta illa Eccleſiæ Decreta quæ prohibeant ne in Theophaniis baptiſmus detur ſolennior? Quibus in Oecumenicis Conciliis edita ſunt illa Decreta? In Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſino, Chalcedonenſi? quæ Concilia quatuor Gregorius Magnus vt Euangelia quatuor reuereri ſe dicit:* Ac ſubinde in exaggerationes ridiculas quæ ſuis locis ad ludibrium notabuntur aſſurgit; quaſi agat cum infantibus quos terriculamenta tam inania commoueant. Id vnum nunc eſt ad rem præſentem expendendum quàm grandi piaculo Decreta illa quæ baptiſmum ſolenniorem extra Paſcha & Pentecoſten celebrare prohibuerunt, *Eccleſiæ Decreta* vocauerim, licèt in Conciliis Oecumenicis nuſquam edita poſſim inuenire, vt illis verbis vrget. Non me rapiet vltra metam; nec ego eum ſic abreptum extra ſe ac per

deuia excurrentem & à tramite recto digredientem ſequar. Mihi ſufficit, eo ſenſu *Decreta Eccleſiæ* vocaſſe quæ à ſummis Pontificibus edita ſunt, quo ſenſu dixit Auguſtinus Tractatu 124. in Ioannem ſub finem quòd virtute clauium quas *ad liganda ſoluendaque peccata primus Apoſtolorum Petrus accepit* (vt loquitur) *non ſolus ipſe ſed vniuerſa Eccleſia ligat ſoluitque peccata*; quod vtique per Pontifices ipſos & Sacerdotes facit, ac in ſolis Oecumenicis Conciliis facere ridiculè admodum diceretur : Eo etiam ſenſu quo Chryſoſtomus homiliâ ſexageſimâ primâ in Matthæum explicat illud ex Matth. 18. *Dic Eccleſiæ* ob eorum correctionem qui priuatas correctiones & admonitiones neglexerint : *Hoc eſt Præſidentibus*, inquit, *ac Præſulibus* (προεδρεύουσιν) Eo ſenſu quo Gloſſa ibi addit : *Poſt hæc ſequatur excommunicatio quæ fieri debet per os Eccleſiæ, id'eſt per Sacerdotem ; quo excommunicante tota Eccleſia cum eo operatur* : An & hoc tantùm in Conciliis Oecumenicis? Eo ſenſu quo Iuo Carnotenſis in Prœmio ſui Decreti dixit : *Excerptiones Eccleſia-*

ſticarum regularum partim ex Epiſtolis Romanorum Pontificum, partim ex geſtis Conciliorum Catholicorum Epiſcoporum, partim ex Tractatibus Orthodoxorum Patrum, partim ex inſtitutionibus Catholicorum Regum in vnum corpus adunare curaui; ſic *Eccleſiaſticas regulas* vocans, quas non in Conciliis Oecumenicis tantùm ſed in aliis quibuſcunque ac à Romanis Pontificibus in Eccleſiæ bonum editas reuerenter ab Eccleſiâ ipsâ ſuſceptas eſſe obſeruataſque ſignificat. Cur eo ſenſu non dicerem *Decreta Eccleſiæ?* quę nempe vndecunque collecta & compacta in vnum Decretorum vel Canonici Iuris Corpus vbique vſurpatum recepit; quæ veluti regulam juridicam, vt præ ſe fert ipſum Canonis nomen, communiter ſeruandam propoſuit; quæ Canonibus eius interſeruit ac Decretis, etſi Pontificia tantùm & Pontificum nomen à quibus emanarunt exprimentia; quæ recipere ſe ac amplecti Facultas ipſa Pariſienſis juramento ſolenni profitetur; & *Eccleſiaſticas Conſtitutiones* nihilominus vocat quæ jeiunium vel à carnibus abſtinentiam præſcripſerunt, ante-

quam vllum Oecumenicum Concilium expreſsè circa illam obſeruantiam præceſſiſſet; cùm poſterius Tridentinum fuerit, in quo nec id expreſsè definitum inculcat peruerſus hic ac præpoſterus contradictor. Ita eſt ingenium hominis nunquam ſuum, nunquam conſiſtens in ſe, nunquam niſi contradicendo ſibi conſtans.

Velit igitur, nolit, aſſertionem eius aduerſariam Eccleſiæ Decretis vſu ipſo corroboratis & firmatis oſtendam, quia ſummorum Pontificum Decretis repugnantem, quæ in communem Eccleſiæ conſenſionem, vſum, obſeruantiam, tranſierunt.

Quoniam verò nominatim Leonem expreſſeram, & in Leonis potiſſimùm authoritate vellicandâ quaſi eius non timens vngues, ac Emblematis quodammodo leporem imitatus, audacter ludit, exordiamur à Leone.

CAPVT I.

Leonis Magni authoritas multiplex vindicata.

SIc ergo Leo in Epiſtola quarta quam Launoïus ipſe tametſi non integram referre dignatus eſt; ſed vt poſtmodum vellicaret, non ridiculè minùs quàm audacter. Sic inquam, Leo cap. 1. *Cùm ergo mihi de charitatis veſtræ actibus fraterna affectione ſolicito certis indiciis innotuerit vos in eo quod inter Sacramenta Eccleſiæ principale eſt ab Apoſtolicæ inſtitutionis conſuetudine diſcrepare, ita vt baptiſmi Sacramentum numeroſius in die Epiphaniæ quàm Paſchali tempore celebretis, miror vos vel præceſſores veſtros tam irrationabilem nouitatem vſurpare potuiſſe vt confuſo temporis vtriuſque myſterio nullam eſſe differentiam crederetis inter diem quo adoratus eſt Chriſtus à Magis, & diem quo reſurrexit à mortuis. Quam culpam nullo modo potuiſſetis incidere, ſi vnde conſecrationem honoris accepiſtis, inde legem totius obſeruantiæ ſumeretis; & beati Petri Apo-*

ſtoli ſedes quæ vobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſet Eccleſiaſticæ magiſtra rationis: A cuius vos regulis receſſiſſe, minore poſſet æquanimitate tolerari, ſi aliqua commonitionis noſtræ increpatio præceſſiſſet: Nunc autem quia non deſperatur correctio, manſuetudo ſeruanda eſt: Et licèt vix ferenda ſit in Sacerdotibus excuſatio quæ prætendat inſcitiam, maluimus tamen & cenſuram neceſſariam temperare & ratione vos apertiſſimæ veritatis inſtruere.

Deinde in capite 3. quod ex parte dumtaxat Launoïus retulit, primis verbis ad Paſchæ tempus pertinentibus non ſine aſtu infrà notando prætermiſſis, quæ reponimus: *Quamuis illa quæ ad humilitatem & illa quæ ad gloriam pertinent Chriſti, in vnam concurrant eandemque perſonam; totumque quod in illo & virtutis diuinæ eſt & infirmitatis humanæ, ad noſtræ reparationis tendat effectum; propriè tamen in morte crucifixi & in ſurrectione ex mortuis potentia baptiſmatis nouam naturam condit ex veteri; vt in renaſcentibus & mors Chriſti operetur & vita; dicente Apoſtolo Paulo,* An ignoratis quia quicunque baptizati ſumus

in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus, vt quomodo ſurrexit à mortuis, ita & nos; *& cætera quæ latiùs Magiſter gentium ad commendandum Sacramentum baptiſmatis diſputauit: Vt appareret ex huius doctrinæ ſpiritu regenerandis filiis hominum & in Dei filios adoptandis illum diem electum, in quo per ſimilitudinem formamque myſterij ea quæ geruntur in membra his quæ in ipſo capite ſunt geſta congruerent:* Vt & mox: *Ipſa igitur operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ eum eſſe legitimum diem in quo orta eſt & virtus muneris & ſpecies actionis. Ad cuius rei confirmationem plurimùm valet quòd ipſe Dominus Ieſus-Chriſtus poſteaquam reſurrexit à mortuis diſcipulis ſuis in quibus omnes Eccleſiarum Præſules docebantur & formam & poteſtatem tradidit baptizandi: De quo vtique eos etiam ante paſſionem potuiſſet inſtruere, niſi propriè voluiſſet intelligi regenerationis gratiam ex ſua reſurrectione cœpiſſe.* Tum ſubiungit quod Launoïus quoque refert: *Additur ſanè huic obſeruantiæ etiam Pentecoſtes ex aduentu Spiritus-ſancti conſecrata ſolennitas quæ de Paſchalis feſti pendet ar-*

ticulo. Et cùm ad alios dies alia feſta pertineant, hæc ſemper ad eum diem qui reſurrectione Domini eſt inſignis, occurrit; porrigens quodammodò auxiliantis gratiæ manum, vt hi quos à die Paſchæ aut moleſtia infirmitatis aut longinquitas itineris aut nauigationis difficultas interclusit inuitos aut quibuſlibet neceſſitatibus impeditos, deſiderij ſui effectum dono Spiritus-ſancti conſequantur. Quod & cap. 4. non ex perſuaſione ſuâ ſed ex authoritate Apoſtolicâ deſcendere Beati Petri exemplo probat qui eo die tria hominum millia baptizauit; & prætermittit rurſum Launoïus.

Tum in capite 5. *Vnde quia manifeſtiſſimè patet, baptizandis in Eccleſia electis hæc duo tempora de quibus loquuti ſumus eſſe legitima, dilectionem veſtram monemus vt nullos alios dies huic obſeruantiæ miſceatis.*

Denique in cap. 6. *Quia etſi ſunt aliæ quoque feſta quibus multa in honorem Dei reuerentia debeatur, principalis tamen & maximi Sacramenti cuſtodienda nobis eſt myſticæ rationis exceptio; non interdictâ licentiâ qua in baptiſmo tribuendo, quolibet tempore, periclitantibus*

ſubuenitur. Ita enim ad has duas feſtiuitates connexas ac ſibimet cognatas incolumium & in pacis ſecuritate degentium libera vota differimus, vt in mortis periculo, in obſidionis diſcrimine, in perſequutionis anguſtiis, in timore naufragij, nullo tempore hoc verè ſalutis ſingulare remedium cuiquam denegemus.

Si quis autem Epiphaniæ feſtiuitatem quæ ſuo in ordine debito honore veneranda eſt, ob hoc exiſtimat priuilegium habere baptiſmatis quia hoc quidam putant quòd in eadem die Dominus ad baptiſmum ſancti Ioannis acceſſit, ſciat illius baptiſmi aliam gratiam, aliam fuiſſe rationem; nec ad eandem pertinuiſſe virtutem qua per Spiritum renaſcuntur de quibus dicitur, Qui non ex ſanguinibus neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri ſed ex Deo nati ſunt. *Dominus enim nullius indigens remiſſione peccati nec quærens remedium renaſcendi, ſic voluit baptizari ſicut voluit circumcidi, hoſtiamque pro ſe mundationis offerri, vt qui factus erat ex muliere (ſicut Apoſtolus ait) fieret & ſub lege, quam non venerat ſoluere ſed adimplere & implendo finire; ſicut Beatus Apoſtolus prædicat dicens.*

Finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti : *Baptiſmi autem ſui in ſe condidit Sacramentum quia in omnibus primatum tenens ſe docuit eſſe principium: Et tunc regenerationis potentiam ſanxit, quando de latere ipſius profluxerunt ſanguis redemptionis & aqua baptiſmatis. Sicut ergo vetus Teſtamentum teſtificatio fuit noui, & lex per Moyſen data eſt, gratia autem & veritas per Ieſum-Chriſtum facta eſt, ſic diuerſa ſacrificia vnam hoſtiam præformarunt, & multorum agnorum occiſio illius immolatione finita eſt, de quo dicitur,* Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi : *Sic & Ioannes (non Chriſtus ſed Chriſti præuius, non ſponſus ſed ſponſi amicus) fuit adeo fidelis & non ſua quærens ſed quæ Ieſu-Chriſti, vt ſe profiteretur ad ſoluenda calceamenta pedum eius indignum; quoniam ipſe quidem baptizaret in aqua in pœnitentiam, ille autem baptizaturus eſſet in Spiritu-ſancto & igni, qui duplici poteſtate & vitam redderet & peccata conſumeret.*

His itaque, fratres, tot tantiſque exiſtentibus documentis, quibus omni ambiguitate ſubmotâ euidenter agnoſcitis,

Eſt in Launoïano ſcripto, *Frater*; adeo repetendo contra me huic nomini aſſueuerat vt hîc etiam cum ſolœciſmo inſereret.

in baptizandis electis, qui ſecundùm Apoſtolicam regulam & exorciſmis ſcrutandi & jeiuniis ſanctificandi & frequentibus ſunt prædicationibus imbuendi, duo tantùm tempora (id eſt Paſcha & Pentecoſten) eſſe ſeruanda, hoc veſtra indicimus charitati vt ab Apoſtolicis inſtitutis nullo vlteriùs recedatis exceſſu: Quia inultum poſt hæc eſſe non poterit, ſi quiſquam Apoſtolicas regulas in aliquo crediderit negligendas.

Iterum verò in epiſtola 80. quam ſimiliter Launoïus referre dignatus eſt; nec eam, vt priorem, iiſdem ridiculis momentis inferiùs excutiendis vellicare. *Magnâ indignatione commoueor & multo dolore contriſtor, quòd quoſdam ex vobis comperi ita eſſe Apoſtolicæ traditionis oblitos & ſtudio ſui erroris intentos, vt præter Paſchæ feſtum cui ſola Pentecoſtes ſolennitas comparatur, audeant ſibimet non aliquâ infirmitatis neceſſitate cogente ſed ſolâ indiſciplinati arbitrij libertate jus baptiſmatis vendicare; & in Natalibus Martyrum, quorum finis aliter honorandus eſt quàm dies Paſſionis, regenerationis celebrare myſteria, & ſine vllis ſpiritualium eruditionibus prepa-*

rationum ita rudibus & imperitis tradere Sacramentum vt circa renouandos nihil doctrinæ Eccleſiaſticæ, nihil in exorciſmis impoſitio manuum, nihil ipſa ieiunia quibus vetus homo deſtruitur operentur; neque in tanto myſterio ſalutis humanæ vlla eius diei habeatur exceptio quo ipſum donum eſt conditum renaſcentibus. Admonemus igitur & non ſine periculo ſtatûs eorum qui hoc faciunt proteſtamur vt ab hac præſumptione ceſſetur; & ſummam hanc potentiſſimamque Dei gratiam non-niſi in Paſchali & Pentecoſtes die deſiderantibus & credentibus conferatis; manente, quolibet & tempore, grauium neceſſitatum ac periculorum conſideratione ſecundùm quam oporteat ſubuenire; ne conditione mortali coarctata infirmitas neceſſariâ liberatione fraudetur; cùm ſeruatâ (ſicut præloquuti ſumus) duarum tantummodo feſtiuitatum reuerentiâ, propter multa pericula ſit cauendum ne cuiquam aut in deſperata ægritudine aut in hoſtilitatis incurſu aut in timore naufragij per Sacerdotem Domini regeneratio denegetur: Si quis verò poſt hoc interdictum in eadem fuerit vſurpatione detectus, dignam pertinaciæ ſuæ incidit vl-

tionem, quoniam oſtendit ſe turpe potius lucrum quàm religionis cultum eſſe ſe-ctatum.

Launoïanæ obiectiones, id eſt illuſiones ac euagationes, diſſipatæ.

QVIs Launoïum hæc referentem non crederet in eo ſenſu eſſe vt ſolum Paſchæ ac Pentecoſtes tempus pro baptiſmo ſolenni conferendo indictum olim, velut Apoſtolicis inſtitutis conſentaneum & legitimum agnoſceret ſicut agnoſcit Leo, ac in Epiphania baptizantes velut Apoſtolicæ Traditionis violatores condemnandos putaret ſicut Leo decernit condemnandos? Quis non crederet eum velle generaliter intelligi quod verbis & regulis generalibus id eſt Apoſtolicis explicatur? & vt neceſſarium obſeruatu proponi quod ſub interminatione ſeu comminatione tam vehementi proponitur? Sed longè illi alia mens, longè alius finis; quia ſibi aſtutiarum ſatis eſſe confidit vt illudat Leoni & vim eius eludat, quantumcunque obtuſas intelligant

qui non vt ille ſint obtuſi.

§ 1.

En aſtutiam eius primam Corollario 4. quòd *cùm Siculi ad Romanam ſpectarent Prouinciam, debebant Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem ſeruare in qua baptiſmus ſolennior nonniſi in Paſchate & Pentecoſte celebrabatur:* Ingeminat hanc aſtutiam & variis in orbem inflexibus implicat ac reuoluit Corollario 21. ſiue vltimo, cùm ſic ait: *Hoc autem de Leone obſeruo* (quòd nimirum eoſdem Epiſcopos ad Concilium Romam vocet) *vt conſtet Leonem cùm de baptiſmi temporibus Paſcha & Pentecoſte ad Siciliæ Epiſcopos ſcribit, ad Prouinciæ ſuæ (id eſt Romanæ) Epiſcopos ſcribere; quod inclemens Frater ignorat vel diſſimulat, vt me dictatorio mucrone perſequatur & ſuis oneret calumniis: Impudentiſſimum enim mendacium & calumnia eſt me contra Leonis Decreta dicere cùm antiquas & varias celebrandi baptiſmatis conſuetudines repræſento, & ſuas vnicuique regionis & Prouinciæ Eccleſiæ conſigno. Contra Leonis vtique Decreta dicerem, ſi Romæ & in Romana Prouinciæ celebrandum eſſe citiùs in Natali Do-*

mini & in Epiphania quàm in Paſchate & Pentecoſte baptiſmum ſcriberem: Vbinam hæc ſcribo? Quin potiùs Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem baptizandi aſſero & præſto.

Adeo-ne obtuſè tam aſtutus Magiſter! aut adeo diſſimulanter tam ſincerus! Bene eſt: Ad Epiſcopos Siciliæ hanc epiſtolam ſcribit Leo: Nec id ignorat Frater, quia inſcriptionem ipſam ſanis oculis legit, *Ad vniuerſos Epiſcopos per Siciliam conſtitutos*: Cur autem ſic inſcriptam diſſimularet æquè inani aſtu ac Magiſter inculcat ſic inſcriptam? Quid incommodat Fratri hæc inſcriptio vt putetur malè ſenſiſſe quòd obliget generaliter omnes? Aut quid Magiſtrum iuuat vt putetur bene ſenſiſſe quòd obliget Siculos tantùm? Ad Epiſcopos qui Concilio Eccleſiæ Carthaginenſis adfuerunt ſcribit Innocentius primus cùm Pelagium damnat cuius damnationem à ſe factam authoritate Apoſtolica confirmari poſtulauerant: An erroris Pelagiani damnationem ij ſolì obligabantur agnoſcere? imò ne illi quidem, quia iuxta ſubtilitatem Lau-

noïanam nec ad Romanam Prouinciam ſicut Siculi pertinebant: An minùs propterea Innocentius dicit? *Gratulor quòd cùm pro illis curam geritis quibus præſidetis Eccleſiis ſolicitudinem veſtram pro omnium vtilitate monſtratis; & per cunctas totius orbis terrarum Eccleſias omnibus vnà quod proſit decernendum eſſe depoſcitis; vt ſuis conſtabilita regulis Eccleſia eos caueat & pauere non poſſit qui peruerſis inſtructi verborum argutiis ſub imagine Catholicæ fidei diſputantes, velut peſtiferum exhalantes virus vt hominum rectè ſentientium in deteriorem partem corda corrumpant, totam veri dogmatis quærunt euertere diſciplinam.* Ad Epiſcopos qui Concilio Mileuitano adfuerunt in quibus erat Auguſtinus, eadem qua iam ſuprà occaſione Innocentius rurſum ſcribit, ſimili eorundem petitioni pro errore Pelagiano condemnando reſpondens: Annon tamen plurimùm eos laudat quòd ad Apoſtolicam ſedem eâ occaſione recurrerint: *Scientes* (inquit) *quòd per omnes prouincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent; & quoties fidei ratio ventilatur nonniſi ad*

Petrum referri debere quod per totum mundum poſſit omnibus Eccleſiis in commune prodeſſe: An iſtud eſt hos tantùm ad quos epiſtolam dirigit ad illius Decretum obligari ? quos nec ad illud obligare iuxta Launoïana deliramenta potuiſſet, cùm eſſent Africani, neque ad Prouinciam (ſicut priùs) Romanam pertinerent. Inſcribit epiſtolam aliam Cæleſtinus *ad quoſdam Galliarum Epiſcopos* pro Semipelagianis condemnandis, aut reliquiis Pelagianis extirpandis: An propterea quoſdam illos dumtaxat, non alios quoſcunque Gallos, non Hiſpanos, non cuiuſlibet nationis aut Prouinciæ Chriſtianos huius erroris vtriuſque condemnatio intelligatur obligare ? Aut non hoc ipſum ſignificat in epiſtola Cæleſtinus cùm ait quantùm propter illos errores contriſtetur qui *authoribus Chriſtianis percellunt animos Chriſtianos;*& inferiùs addit de Proſpero & Hilario: *Recurrerunt ad Apoſtolicam ſedem, hæc ipſa nobis conquerentes: Habete fratres chariſſimi pro Catholicæ plebis pace Tractatum:* Nempe illum quem in varios articulos contra ſu-

prædictos errores diſtributum ſubiungit : Sed nec rurſum eoſdem Gallos obligaret, ſi deliriis Launoïanis crederetur, cùm ad Romanam Prouinciam Gallia nullo modo iuxta Geographiam eius pertineret.

Cur ergo epiſtola quam vniuerſis Epiſcopis per Siciliam conſtitutis dirigit Leo propter inſcriptionem iſtam Siculos tantùm obligare intelligatur? Nec obligare illos quidem, niſi vt ad Romanam Prouinciam ex huius Geographi deſcriptione pertinentes? Diſcat à Fratre tam contempto Magiſter (quod infimus etiam eum tyro doceret) epiſtolas pro erroribus condemnandis aut corrigendis abuſibus ad eos nominatim dirigi quorum in Prouinciis oriuntur errores, aut abuſus excreſcunt; ſed ſic tamen vt vel errorum damnatio vel abuſuum prohibitio ex generali ratione quam inſinuat vel continet, ad Chriſtianos omnes vbicunque terrarum pertineat; & vbi quidem emerſerunt, illic damnari mereantur, ſed per cæteras inde terras deuitandi omnibus innoteſcant; ſicut loquitur Auguſtinus. An verò in hac

de qua modò agitur epiſtolâ generaliùs loqui potuit Leo? Cùm *legitimum diem celebrandæ generaliter gratiæ* (id eſt conferendi baptiſmi) Paſcha vocat; cùm id à Chriſto poſt reſurrectionem tantùm formam baptiſmi præſcribente ſignificatum eſſe dicit; cùm ex Apoſtolica authoritate id emanaſſe vrget ac vt *Regulam Apoſtolicam* obſeruandum: An hæc ad ſolos pertinere Siculos videantur? An eos tantùm inſtitutio vel intentio Chriſti ad ſingularem ſui obſeruantiam obligarit? An ij ſoli Apoſtolicam authoritatem reuereri aut ſoli ſe Regulis Apoſtolicis exhibere conformes teneantur? Quid quòd in Apoſtolis omnes Eccleſiarum Præſules pro tradendo baptiſmo generatim doceri Leo addit? Quid quòd & epiſtola ſic incipit, *Diuinis præceptis & Apoſtolicis monitis incitamur vt pro omnium Eccleſiarum ſtatu impigro vigilemus affectu, &c.* An ergo Frater impudentiſſimè mentitur & Magiſtrum calumniatur cùm eum vt Leonis Decreto repugnantem accuſat? An impudentiſſimè cauillatur & pluſquam ridiculè nugatur ac ineptit Ma-

giſter, cùm Leonis Decretum ſic reſtringit vt extra Romam non excurrat, vel eos tantùm poſſit obligare qui ad Romanam Prouinciam pertinent? Malè actum cum Epiſcopis Gallicanis qui pro damnando Ianſenio Innocentium decimum compellarunt vt clarè ac diſtinctè pronuntiaret quæ ad eum errorem extirpandum ſentiret expedire, ſuumque ſuper eo animum aperiret: Malè cum Chriſtianiſſimo Rege qui Decretum Innocentij & Alexandri ſucceſſoris recipi iuſſit in Gallia & in communem formam profeſſionis Chriſtianæ redigi cui ſubſcribere omnes tenerentur: Malè cum ſanctæ memoriæ Carolo Magno qui Decreto Leonis antedicto ſe obligatum ſenſit vt ſuis Gallis eius obſeruantiam præciperet, ſicut patebit infrà cùm de Galliæ vſu ſpeciatim agetur: Malè cũ ipſa Facultate Pariſienſi quæ Statuto publico ſuos omnes aſtringit vt ſe ſummorum Pontificum Decretis nunquam repugnaturos iurent, in iis nempe rebus quæ generalem Eccleſiæ directionem aut fidei rectitudinem ſpectant. Non meminit Magiſter datam

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſibi cum Licentiæ gradu ab Vniuerſitatis & Eccleſiæ Pariſienſis Cancellario *authoritate Apoſtolicâ poteſtatem legendi, prædicandi, docendi, interpretandi, hîc & vbique terrarum!* Nec in vrbe Romanâ tantùm vel Prouinciâ, vbi non ſatis fœliciter hæc ei ſucceſſura facilè quiſque conjiciat.

An propterea fortè pro delicatâ conſcientiâ ſuâ Doctoratum excuſſit, ſubſelliis inferiorum Auditorum ſine habitu Facultatis inſidet, Scholaremque ſe præſtat triuialem (niſi quòd importunè illis quos peruertere geſtit inſuſurrat) ne Doctoratûs illegitimè vſurpati ſe conſtituat reum quem à Romano Pontifice nihil extra Romanam Prouinciam exequi legitimè valente ſibi conceſſum eſſe meminerit? Quis tam obtuſa cogitantem vel obtrudentem non explodat?

§ 2.

Altera eius aſtutia eſt vt vim Leonis effugiat Corollario 4. *Deinde* (inquit) *cùm baptizabant in Theophaniis excedebant modum; longè plures in Theophaniis quàm in Paſchate baptizabant: Querelæ capita ſunt duo quæ Leo firmiſ-*

ſimè probare mihi videtur : Vnum tamen Leo prætermittit quod Siculorum cauſæ fauet : Scilicet in Theophaniis tinguebant illi (ſic obſoletè ſcribit) *non quòd eo die Chriſtus à Magis adoratus ſit , vt ſcribit Leo , ſed quòd baptizatus Chriſtus & conſecratus baptiſmus.*

Quot ambages nugatoriæ, imperitæ, malignæ! Quænam duo capita firmiſſimè in epiſtola ſua probat Leo, ſi vnum prætermittit? Vnum eſt caput, quòd in Epiphania plures quàm in Paſchate baptizarent Siculi Epiſcopi, & propterea modum in baptizando excederent : Nam quòd aliter exceſſerint non conqueritur Leo. Alterum quod eſt, niſi quòd propter Chriſti baptiſmum eo die ſuſceptum baptizari putabant oportere? Scribit equidem Leo ſe mirari quòd nullam inſtituant differentiam inter diem quo Chriſtus adoratus eſt à Magis & ilium diem quo reſurrexit à mortuis, vt initio videre eſt; ſed hoc propter baptiſmum dicit qui eodem etiam die contigiſſe creditur in adulta ætate quo Magorum adoratio in infantia contigerat; vt inferiùs in progreſſu

eiuſdem epiſtolæ Sole clariùs patet: Omittit-ne igitur Leo illud vnum quod fictitiè Siculis fauet, ſicut & fictitiè Orientalibus à Magiſtro tribui ſuo loco probabit Frater? Exprimere manifeſtiùs non potuit, nec refellere diſtinctiùs. An verò ſic refellit quòd plures tantùm eo die quàm in Paſchate baptizarent? Non abſolutè ac ſimpliciter quòd qualeſcunque baptizarent? Vt ipſe modus refellendi præ ſe fert, nec legenti dubium eſſe poteſt niſi oculis Launoïanis legat. O leporina effugia! niſi quòd nec aſtuta ſatis vt leporina dici poſſint.

§ 3.

Sed eſt alia ſubtilior & argutior aſtutia tertia quam prædicto Corollario ſic exprimit: *Quamuis in habendâ de Sicilienſibus Epiſcopis querelâ Leonis prudentia eluceat maximè, hæc adhuc tamen magis elucet, cùm poſt refutatam illorum nouitatem vt loquitur, & poſt longam de tradendo tantùm in Paſchate & Pentecoſte baptiſmo diſputationem ſic concludit:* Dilectionem veſtram monemus vt nullos alios dies huic obſeruantię miſceatis. *Aliud eſt monitio, aliud Decretum*

Decretum prohibens ne quid fiat in poſterum quod antea fiebat. Sapientiſſimus Pontifex vt nouerat habere ſe Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem quam Siculis Antiſtitibus ſequendam proponeret, ſic & nouerat habere ſe nihil quod eâ ſuperre de Canonum diſciplinis promulgaret.

Vtinam prudentia Leonis in leporem hunc noſtrum vel cerebrum illius tranſiiſſet! Ne tam intemperanter, imperitè, ac imprudenter excurreret, vt hîc maximè facit. Non eſt prohibitio (inquit) ſed monitio, quia Leo concludit ſolummodo, *monemus:* Adeo-ne, Magiſter? Atqui concluſio quidem eſt capitis quinti breuiſſimi quam & obtusè à te inculcari mox videbimus: At longæ quam indicas diſputationis concluſio eſt peremptoria quam diſſimulas: *Tot tantiſque exiſtentibus documentis quibus omni ambiguitate ſubmotâ euidenter agnoſcitis in baptizandis electis duo tantùm tempora (id eſt Paſcha & Pentecoſten) eſſe ſeruanda,* Hoc veſtræ indicimus charitati *vt ab Apoſtolicis inſtitutis nullo vlteriùs recedatis exceſſu; quia inultum poſt hæc eſſe non poterit, ſi quiſquam*

Apoſtolicas regulas in aliquo crediderat negligendas. Eſt-ne hoc *prohibere* Magiſter, an *monere* dumtaxat? Nec ignoras vtique iſta, quia ipſe in Scripto tuo retuliſti: Sed quid niſi obtusè intelligis, aut obtusè nos intellecturos putas, aut malignè diſſimulare mauis quæ arbitraris iam oblita; vt in tuo, *monemus*, liberiùs ac licentiùs ludas.

Quid ſi tamen dixiſſet ſolùm Leo, *monemus*? Quid hinc infers, Magiſter? Sine vt te doceat Frater aliam eſſe monitionem quæ adhibetur ad faciendum quiddam noui quod alioqui eſt indifferens per ſe; aliam quæ potiùs ad corrigendum prius factum vel ad abuſum excutiendum adhibetur: Nam vt præceptum quidem admonitio illa prior non contineat ſemper, quamuis interdum poſſit ſi Superior eam adhibet; iſta ſic adjuncta eſt cum præcepto vt illud contineat omnino vel ſupponat; quia fieri quod præceptum eſt monet, vel ab eo quod prohibitum eſt abſtineri. An cùm propter aliquod factum quod excommunicatione plecti debet, monetur qui hoc fecit aut facit vt ab eo deſiſtat fa-

ciendo ne in excommunicationem incurrat, monitio præceptum vel prohibitionem non includit ? An cùm dicitur in Decretis Causâ 12. quæſt. 2. cap. *Indignè*, quòd *vindictam admonitio præcedat vt res injuſtè vſurpatas is qui abſtulit vel qui retinet reſtituat*, non perinde eſt ac præceptum reſtituendi vel viciſſim prohibitio retinendi ? An cùm Innocentius 3. in Concilio Generali ex quo refertur Extrà de ſententia excommunicationis, cap. *Sacro*, dicit ſe prohibere *Ne quis in aliquem excommunicationis ſententiam niſi competenti admonitione præmiſsâ promulgare præſumat*, intelligit monitionem quæ nec præcepto nec prohibitioni ſit adjuncta ? Cùm excommunicatio fieri nunquam debeat niſi propter præceptum prætermiſſum in materia graui vel prohibitionem prætergreſſam ; Quis niſi Launoïus talem Leonis eſſe monitionem non videat quam ſequuturæ vltionis comminatio comitatur? Atqui *ſapientiſſimus Pontifex* (inquit) *vt nouerat habere ſe Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem quam Siculis Antiſtitibus ſequendam proponeret, ſic & nouerat*

habere ſe nihil quod eâ ſuper re de Canonum diſciplinis promulgaret. Quidni & reponamus quòd *non ſapientiſſimus Magiſter vt nouerat ſe nihil habere quod Leonis authoritati rationabiliter ac legitimè opponeret, ſic noſſe nos voluit quantâ confidentiâ nugas tam ridiculas effutiret.* Conſuetudinem-ne Romanam Leo niſi admodum implicitè, an explicitè intentionem Chriſti, Apoſtolicam Traditionem, regulas Apoſtolicas, Apoſtolica inſtituta Siculis Epiſcopis proponit vt obſeruent? Quid erat opus vt in Canonibus quæreret quod in Traditione inuenerat? Aut non putaret promulgandum niſi quod explicitum in Canonibus inueniſſet? Cùm duo illa vt regulam obſeruantiæ Chriſtianæ proponat Auguſtinus, quæ vel in Conciliis plenariis (id eſt Oecumenicis) definita, vel ex Apoſtolicis inſtitutis deriuata ſint. Sed penſum eſt Magiſtro vt nugetur qualitercunque, modò fallat.

§. 4.

Nondum nugatum ſatis in Leone vel tam inſipienter luſum. Coronidem imponit nugamentis, cùm addit:

Prætereà noluiſſet quidquam ſtatuere quod in Græcorum Patrum, Gregorij cum primis Nazianzeni, Ioannis Chryſoſtomi, & Orientalis Eccleſiæ detrimentum redundaſſet. Poſtremò intelligebat ſatis quæſtionem hanc reuocandam eſſe ad earum rerum numerum de quibus in Præfatione epiſtolæ ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum regulam ponit huiuſmodi, quia ſicut quædam ſunt quæ nulla poſſunt ratione conuelli, ita multa ſunt quæ aut pro conſideratione ætatum aut pro neceſſitudine rerum oporteat temperari; illâ ſemper conditione ſeruatâ vt in his quæ vel dubia fuerint vel obſcura id nouerimus ſequendum quod nec præceptis Euangelicis contrarium nec Decretis ſanctorum Patrum inueniatur aduerſum.

Explicare Magiſter debuerat ad quam earum rerum partem intelligebat Leo quæſtionem hanc de ſolenni baptiſmo reuocari: Nam ſi ad illas reuocaſſe Leonem putat quæ conuelli non poſſunt, quàm commodè concludit ex Leone quod optat! Si ad illas quas vocat Leo dubias vel obſcuras, quàm conformiter cum Leone loquitur, aut Leonis exhibet ſenſum! Qui

quæſtionem de baptiſmo tam certam, tot & tantis munitam documentis, tam inſtitutioni Chriſti conſentaneam, tam regulis Apoſtolicis confirmatam & ſtabilitam exhibuit! Nec in Præfatione ad Ruſticum quam perpetuus interpolator Patrum tam fallaciter pro more ſuo huc obtrudit, id à Leone ſic dicitur niſi de priuatis quibuſdam interrogationibus quas *colloquiis aptiores quã ſcriptis* ibi vocat: Quid ad præſentem quæſtionem? Aut quorſum eam ex promiſcuis & implicitis verbis ad aliud quidlibet manifeſtè pertinentibus repetere geſtiat, quam expreſsè proprio loco definitam potuit aduertere, niſi nugari vellet? Nam & id quod ex Græcis, ex Gregorio Nazianzeno, ex Chryſoſtomo, ex Eccleſia Orientali ad Leonis authoritatem detorquendam aut eludendam interponit, ſimile nugamentum omnino eſſe oſtendemus, cùm Eccleſiæ Orientalis vſum exhibebimus hac in parte.

Mirare verò, Lector, vt inter tantas nugas contra priorem epiſtolam Leonis ad Siculos coagmentatas nihil

contra poſteriorem exceperit, *ad vniuerſos Epiſcopos per Campaniam, Samnium,& Picenum conſtitutos* inſcriptam; vbi tamen admonere ſe dicit Leo, nec ſine periculo ſtatûs eorum qui baptizant extra Paſcha & Pentecoſten proteſtari, vt à præſumptione illâ ceſſent; & ſi quis poſt hoc interdictum in eadem fuerit vſurpatione detectus, dignam eum pertinaciæ pœnam incurſurum. An quia hîc defecit, & aſtutia illi ſua quamlibet nugax ad eludenda iſta non ſuffecit? Rideat ergo hæc effugia Leo, quæ vim Decreti eius eludere non poſſint; eludentis potiùs oſtendere illuſorium ſenſum poſſint.

Capvt II.

Siricij etiam Papæ ante Leonis tempus explicata & vindicata authoritas.

De Siricio iam videndum, qui licèt antiquior Leone multis annis, poſteriori tamen loco hîc reponendus fuit propter cauſam iam ſupe-

riùs indicatam, quia Leonis mentionem in Pantheologia nominatim feceram, & in eius authoritatem potiſſimùm ſuas nugationes Launoïus tam ridiculè torſit. Iam ergo quinquaginta circiter annis ante Leonem Siricius ad Himmerium Epiſcopum Tarraconenſem ſcribens cap. 11. dixerat: *Sequitur de diuerſis baptizandorum temporibus, prout vnicuique libitum fuerit, improbabilis & emendanda confuſio, quæ à noſtris conſacerdotibus (quod commoti dicimus) non ratione authoritatis alicuius ſed ſola temeritate præſumitur, vt paſſim ac liberè Natalitiis Chriſti, ſeu apparitionis, nec non Apoſtolorum & Martyrum feſtiuitatibus, innumeræ (ſicut aſſeris) plebes baptiſmi myſterium conſequantur; cùm hoc ſibi priuilegium & apud nos & apud omnes Eccleſias dominicum ſpecialiter cum Pentecoſte ſua Paſcha defendat; quibus ſolis per annum diebus, ad fidem confluentibus generalia baptiſmatis tradi conuenit Sacramenta; his dumtaxat electis qui ante quadraginta vel eo ampliùs dies nomen dederint, & exorciſmis quotidianiſque orationibus ac jeiuniis fuerint expiati; quatenus Apo-*

ſtolica illa impleatur præceptio vt expurgato veteri fermento noua incipiat eſſe conſperſio. Sicut ergo Paſchalem reuerentiam in nullo dicimus eſſe minuendam, ita infantibus qui nedum loqui poterunt per ætatem, vel his quibus in qualibet neceſſitate opus fuerit ſacri vnda baptiſmatis, omni volumus celeritate ſuccurri; ne ad noſtrarum perniciem tendat animarum, ſi negato deſiderantibus fonte ſalutari exiens vnuſquiſque de ſæculo regnum perdat & vitam: Quicunque etiam naufragij diſcrimen, hoſtilitatis incurſum, obſidionis ambiguum, vel cuiuſlibet corporalis ægritudinis deſperationem inciderint, ſibi vnico credulitatis auxilio popoſcerint ſubueniri, eodem quo poſcunt temporis momento expetitæ regenerationis præmia conſequantur. Hactenus erratum hac in parte ſufficiat: Nunc præfatam regulam omnes teneant Sacerdotes qui nolunt ab Apoſtolicæ Petræ ſupra quam Chriſtus vniuerſalem conſtruxit Eccleſiam ſoliditate diuelli.*

§ I.

Quid ad eius authoritatem Launoïus? Non enim ad Siculos, non ad Campanos, non ad Samnites, non ad

Picenos, non ad Romanæ Prouinciæ incolas iſta ſcribit, vt idem dici de illo poſſit quod nugaciter priùs de Leone dictum eſt: Non quarundam Eccleſiarum ſed omnium hunc vſum notat quem retineri iubet, vel reſtitui apud illas quæ per abuſum excuſſiſſent, aut omiſiſſent obſeruare. Nihil-ne hìc reponet? Imò reponet, nugamenta vt priùs mera, ſed ex alio Scenæ apparatu deprómpta. Sic igitur Corollario 3. inſcriptio ipſa fert: *Siricius in Decreto nonnihil habet cum pluribus Eccleſiis conciliatu difficile, & forſan ἀδύνατον:* Vt delicato ſtylo ſcribit, dedignatus eſt *impoſſibile* cum Scriptura dicere, qui cum Plauto *baubationem* dicet infrà. Quòd autem Siricium conciliare cum Eccleſiis multis non difficile tantùm ſed fortaſſis impoſſibile, ſic in progreſſu probat: *Propono* (inquit) *difficultatem, quæ ſic ſe habet: Siricius temeritatis accuſat eos qui in Natalitiis Chriſti & in Theophaniis paſſim ac liberè baptizant: Deinde memoratis Paſchate & Pentecoſte ſubjicit,* Quibus ſolis per annum diebus generalia baptiſmatis tradi conuenit Sacramenta: *Vel igitur*

ignorauit apud vniuerſam Orientalem Eccleſiam tunc in Theophaniis ſolennem baptiſmum celebrari : Vel celebratum eo die baptiſmum ſolennem illum ſciens improbauit : Si duo hæc conciliari nequeunt, dicendum eſt citiùs primum quàm ſecundum : Quis enim crederet Siricium voluiſſe improbare baptiſmum quem Orientalis tota frequentabat Eccleſia? Quis crederet Siricium voluiſſe æquales ſuos Gregorium Nazianzenum & Ioannem Chryſoſtomum temeritatis accerſere qui baptiſmum illum celebrabant atque vt à populis ſibi commiſſis diligenter celebraretur hortabantur? Quis crederet Siricium voluiſſe Ebredunenſem Eccleſiam temeritatis accuſare, quæ authore ſancto Marcellino Epiſcopo in Natali Domini baptizabat ſolenniter, & procul amandare ſigna quibus collatum hoc die baptiſma confirmabatur? Quid tandem Siricius diceret ad Carthaginenſem baptizandi in Theophaniis conſuetudinem, quam Deus ipſe viſis & miraculis poſt vnum ſæculum aſſeruit? His ex cauſis adducor vt credam non eſſe dicendum ſecundum ſed primum, quod incommodi minus importat : Non enim omnia ſcire poſſumus omnes.

Addit quoque : *Fortaſſe ſi quis ſibi ſumeret, Siricium cùm ſolennem baptiſmum ad Paſcha & Pentecoſten tempora duo quæ omnino negligebantur in Hiſpania reuocare ſtuderet, in excuſabilem* ἀμετρίαν τῆς ἀυθολχῆς *incurriſſe, audirem nec rejicerem, quia rejiciendi nullam cauſam haberem : Audirem quoque eum libenter qui rejiciendi cauſam haberet, & difficultatem omnem differret ac dilueret.*

Pergit deinde : *Ad extremum eſt & aliud quod mihi nunc occurrit, vtinam probabiliter occurrat; judicent alij, & ſi qui reprehenſuri ſint, me conſentiente reprehendent. Sic ſe habet. Siricius in prioribus verbis ægrè fert, apud Tarraconenſes & vicina loca in Natali Domini & in Epiphania baptiſmum ita liberè & paſſim celebrari vt Paſcha & Pentecoſte negligantur; id eſt vt baptizandæ in his temporibus plebes nullæ relinquantur.*

Nugamenta hæc dixi mera : Vide annon meritò, Lector. Primò quòd Eccleſia Orientalis tota baptiſmum illum vel in Natalitiis Chriſti vel in Epiphania frequentarit eo tempore quo edidit Siricius nugamentum eſt, vt ſuo loco inferiùs oſtendam, cùm de

vſu illius agam ex profeſſo : Tum ſimiliter nugamentum oſtendam eſſe quòd Gregorius Nazianzenus & Chryſoſtomus illum etiam celebrarint, aut quòd commiſſam ſibi plebem ad celebrandum illum hortati ſint. Quòd hiſtoria quoque quam Gregorius Turonenſis de ſancto Marcellino Ebredunenſi narrat vel incerto rumore ab aliis narratam refert, authentica & ſincera ſit inferiùs etiam ſuo loco explodam cùm de vſu Occidentalis Eccleſiæ agere aggrediar ; vt & quòd hiſtoria Eugenij Carthaginenſis ad conſuetum vſum conferendi baptiſmi die ipſo Epiphaniæ pertineat : Ex quo intelligetur illam vtramque contra Siricij Decretum ad illius authoritatem eludendam impertinenter ſaltem applicari. Sic euaneſcent inania & fictitia incommoda quæ Launoïus vrget ; vt Eccleſiæ Orientalis vſum (qui nullus contrarius Decreto fuit) ignorauerit Siricius ; vt Gregorium Nazianzenum & Chryſoſtomum condemnarit (qui nec aliud quàm quod eius Decreto continetur fecerunt aut ſuaſerunt faciendum) vt introductum

à ſancto Marcellino in Eccleſiam Ebredunenſem & miraculo confirmatum baptiſmi vſum (quì nec verus fuiſſe putandus eſt) tanquam temerarium improbarit; vt Eugenij Carthaginenſis factum longè pòſt Siricij mortem vſurpatum (quod nec Decreto contradicit) aut Eccleſiæ ſimiliter Carthaginenſis conſuetudinem (quæ fictitiè hinc eruitur) exploſerit : Nec inde ſupererit vnde difficultatem tantam vel ἀδύνατον Launoïanum, ſeu impoſſibilitatem, Siricij Decretum patiatur. Vt verò Siricius in ἀμετρίαν τῆς ἀνθολχῆς quam ſic logogryphicè Launoïus exprimit, hoc eſt *immoderationem tractionis in contrarium* incurrerit, plus æquo nempe in contrariam partem dicens, cùm emendare aliam vellet; vt Launoïus excuſabilem immoderationem illam dicat ſe negare non poſſe, quia nullam negandi cauſam habet, inſinuetque propterea ſe negaturum ſi inexcuſabilem facere poſſit; vt libenter ſe auditurum addat ſi quis haberet cauſam rejiciendi adeoque inexcuſabilem oſtendendi; quàm reuerenter dictum! Sed culpam

illam vel immoderationem Siricium non incurriſſe oſtendemus cùm probabimus locis iam ſuperiùs indicatis nihil eorum planè quæ Launoïus vel otiosè fingit vel obliquè detorquet, Siricij Decreto aduerſari. Poſtremò illud quod an ſibi probabiliter occurrerit dubitat ac aliis relinquit judicandum; vt Siricius nempe non reprehendat ſimpliciter baptiſmum qui alio tempore quàm in Paſcha vel Pentecoſte celebratur, ſed reprehendat ſolùm quòd frequentiùs in aliis quàm illis temporibus quaſi neglectis conferatur; iam priùs in Leone judicatum eſt, nec Siricij verba judicium cuiuſquam ſapientis hærere in ſuſpenſo permittunt, cùm ex peculiari Paſchæ ac Pentecoſtes priuilegio ſolis diebus illis conferendum baptiſmum ſimpliciter & abſolutè ſignificent.

§ 2.

Suſpenſus ergo Launoïus maneat, ſi ſic placet; aut quærat qui meliùs difficultatem quæ tam implexum eum reddit, *differat* (ſicut loqui voluit) *&* *diluat:* Stabimus in Decreto quo non perinde implicamur ac ille, vt rece-

ptum ab vniuerſis paſſim Eccleſiis baptiſmi vſum in Paſcha ſolùm & Pentecoſte ſolenniter citra neceſſitatem celebrandi non hæſitantes agnoſcamus; & ex Decreto illo aliiſque deinceps quæ in ſuis recenſet Eccleſiæ fuiſſe ab omnibus recipiendum concludamus. Nam quod pro epilogo tam ludibundæ digreſſionis Pontificum illuſor addit, *Siricium quid ſibi agendum videretur proponere non decernere;ac inde factum eſſe vt vbi baptiſmus in Natali Domini & in Epiphania celebrabatur ibi poſt Siricium celebrari non deſierit, idque poſtea Gerundenſem Synodum confirmare;* quàm ridiculum vnâ parte ſit, Siricij decretoria loquutio & planiſſima euidenter oſtendit; quàm ex alia parte ſit ineptum (quantumuis verum eſſet) ſatis abuſus probat quo res quantumcunque decretas obſtinati plerique ſiue licentioſi non obſeruant; quàm falſum quoque dici meritò poſſit, ex ipſa Gerundenſi quam oſtentare geſtit Synodo colligemus, cùm inferiùs ad illius diſcuſſionem ventum erit. Quod addit rurſum ad expoſitionem quam hactenus præmiſit commendandam,

Benigna eſt expoſitio., in qua & aliquid de vino reſecatur, nec iure ſummo agitur, Dicam-ne riſu an indignatione dignum? Vt benigna ſit expoſitio quæ Decretum illudit, quæ reſecat ex eo quamcunque partem diſplicentem aut incommodam ſibi putat, quæ ſenſum eius in contrarium torquet? Bene præſenſit ſaltem quàm non omnibus eſſet maligna magis quàm benigna expoſitio placitura, ſed ad alia priùs pro Decreto Leonis à ſe dicta peſſimè illos recurrere vult, cùm ſubiungit: *Quibus non placebit, ad ea quæ ſuperiori Dilemmate concluſimus recipiant ſeſe ac recurrant:* Etſi ſolitâ ſuâ ſinceritate per figuratam dicti correctionem addit, *Vel (quod opto) meliora doceant.* Meliora nos quoque ſic doceri contingat! Sed auertat à nobis Deus ne illius Dilemmatibus inuoluamur aut ad eorum tam peruerſa commentaria recurramus, & Decreta Pontificum ad Eccleſiaſticos ritus pertinentia illuſoriè commentemur. Pergamus ad alios etiam Pontifices Maximos hæc eadem breuiùs quidem ſed non minùs efficaciter decernentes.

CAPVT III.

De Gelaſij Papæ authoritate ſimiliter cum ſupradictis vindicatâ.

ADDENDVS ille nominatim eſt quem Launoïus ipſe quaſi pro ternario connectendo duobus antedictis adjunxit. Nam cap. 3. *Tres* (inquit) *ſunt omnino Romani Pontifices qui Eccleſiæ ſuæ traditionem ac diſciplinam præſtant; Siricius, Leo, Gelaſius:* Tum Siricio & Leone ſicut vidimus expeditis ad Gelaſium pergens, ita ſubjungit versùs finem : Tertius in Epiſtolæ quæ vulgò ad Epiſcopos Lucaniæ inſcribitur cap. 10. dicit: *Baptizandi ſibi quiſpiam paſſim quocunque tempore nullam credat ineſſe fiduciam præter Paſchale feſtum & Pentecoſtes venerabile Sacramentum; excepto dumtaxat grauiſſimi languoris incurſu, in quo verendum eſt ne morbi creſcente periculo, ſine remedio ſalutari fortaſſis ægrotans exitio præuentus abſcedat.* Laudat porrò tres illos impenſiùs; vt non dubites,

Lector, quantâ Pontificiam authoritatem reuerentiâ proſequatur, aut quanto cultu dignam putet. *Quæ hîc ab vno Pontifice dicuntur* (inquit) *repetuntur ab altero pluribuſque confirmantur: Siricius duo tantùm vindicat tempora, Paſcha & Pentecoſten, quibus celebris extra neceſſitatem baptiſmus conferatur: Leo facit idem, exaggeratque: In ſumma vterque horum temporum inſtitutionem Petro Apoſtolorum Principi acceptam refert: Siricius inuehitur in eos qui & Natali die Domini & Epiphaniæ baptiſmatis priuilegium tribuunt: Leo non eadem modò premit veſtigia, ſed etiam diluit momenta rationum quibus vtuntur ad ſanciendam Eccleſiæ ſuæ diſciplinam: Siricius accuſat alios qui jus baptiſmi transferunt in feſtos Apoſtolorum & Martyrum dies: Leo eidem negotio ſeuerè & eloquenter iuxtà incumbit: Gelaſius verò breuiter ſed neruosè Paſcha & Pentecoſten ab aliorum dierum conſortio defendit.*

§ 1.

Quis hæc legens non credat Launoïum eſſe in Pontifices quàm qui maximè reuerentem, eorum dictis ac Decretis addictum, eorundem au-

thoritatis egregium ac fœderatum defenſorem? Scilicet vt hanc ipſam authoritatem intra muros Romanos claudat, vt ad ſummum Romanæ Prouinciæ terminis definiat, vt excurrere vltra non permittat quod verbis quantumcunque generalibus ad Eccleſiaſticas obſeruantias pertinentibus decreuerit, & quod à Petro ſe accepiſſe velut Apoſtolicam Traditionem indicarit; ſicut nec iſte diffitetur à ſupradictis Pontificibus indicatum: Quamuis vt volubile illi ac verſatile cerebrum eſt, non decreuiſſe Siricium notat, quia poſt Siricium adhuc Hiſpanienſes aut aliæ ſimiles Eccleſiæ tum in Natali Chriſti tum in Epiphania baptizare non deſierunt, vt ex Corollario tertio retulimus; proptereaque implicitè innuit quòd ſi præſumeretur decreuiſſe, prædictæ omnes Eccleſiæ à tali vſu baptizandi propter Decretum eius deſiiſſent: Nunc autem decreuiſſe agnoſcit, ſed illius Decretum ad Romanos dumtaxat pertinere; quaſi Tarraconenſes quibus iſta decernit ad Romanum territorium pertinerent; ſicut & priùs de

Leonis Decreto dixit quòd ad Siculos tantùm eam ob cauſam pertineret, ac de vltimo quoque Gelaſij Decreto dicit quòd pertineret ſolùm propter eandem cauſam ad Lucanos.

§ 2.

Hinc egregium illud Corollarium duodecimum, *quòd in Paſchate tantùm & Pentecoſte baptizandi mos in multis Occidentalibus Eccleſiis perſeuerauit, quia Occidentales Eccleſiæ crediderunt aut potiùs voluerunt ſibi ſcriptum eſſe quod Siricius ad Himmerium Tarraconenſem Epiſcopum, quod Leo ad Siciliæ Epiſcopos, quod Gelaſius ad Lucaniæ ſcripſerunt; & quod ex Romanæ Eccleſiæ moribus promulgabatur, id perinde ac ſi ex Canonibus ſpiritu Dei conditis & totius mundi reuerentiâ conſecratis promulgatum eſſet, vltro acceperunt: Quæ tamen duo inter ſe differunt: Nam major orbis quàm vrbis eſt authoritas, ſicut Hieronymus ad Euagrium ſcribit: Si authoritas quæritur* (inquit) *orbis major eſt vrbe.* Quod alieno planè ſenſu à Hieronymo epiſt. 85. dictum huc intrudit, vt ad vrbem Romanam tantùm Pontificiæ authoritatis jus reſtringat; cùm

alioqui Hieronymus immediatè præmiſerit quòd *non altera Romanæ vrbis Eccleſia & altera totius orbis exiſtimanda eſt, quia Galliæ atque omnes aliæ nationes vnam obſeruant regulam veritatis*; & epiſtola 57. quamuis in Oriente conſtitutus Damaſo Pontifici Romano ſic ſcripſerit: *Cathedram Petri mihi cenſui conſulendam: Nec verò tanta vaſtitas Elementi liquentis & interjacens longitudo terrarum à pretioſæ Margaritæ me potuit inquiſitione prohibere*: Vnde concludit prope finem: *Obteſtor beatitudinem tuam vt epiſtolis tuis tacendarum vel dicendarum trium hypoſtaſeon mihi detur authoritas*: Et ſubjungit quòd hæreticis copulati nihil aliud ambiunt quàm vt eius authoritate fulciantur. Quid mirum ergo ſi Decreta Romana ſupradicta Occidentales Eccleſiæ ſibi directa crediderunt quia generalibus verbis terminiſque concepta? Nec tunc vllus obſtabat Launoïus quin reuerenter ſuſciperent: Non tamen omnes receperunt (inquit) ſed *penè omnes, quia certæ quædam Eccleſiæ in Occidente priſcum vtrumque morem retinuerunt, quas notauimus*: Etſi ab initio

præmiſerat non ſine indignatione quòd *vbique receptus Canonum Romanæ Eccleſiæ Codex* Occidentales Eccleſias ad vſum in eodem præſcriptum induxerat: Sed hoc turbatæ menti quæ ſeipſam inuoluit ſemper, vel capitis non ſatis firmi titubanti cerebro tribuendum: Et alioqui morem quem obſeruatum in contrarium his Decretis opponit, explodemus; cùm inferiùs expendendus recurret ex profeſſo.

CAPVT IV.

Gregorij ſecundi authoritas diſcuſſa, quam pro multis vult Launoïus computari.

IAM Pontificum Romanorum authoritatem ad Eccleſiæ ſuæ ſtabiliendum vſum exhauſiſſe putari potuerat, cùm tres prædictos vno filo connexos exhibuit: Sed ecce rurſum illi occurrit quartus & ab illo ſeorſim nobis exhibetur; quem cur ſeparauerit à prædictis dubium eſſe poteſt, niſi quia pro multis vnum illum puta-

tauit eſſe, vt in illius authoritatis appendice ſubjungit; vel de illo ſpecialia quædam annotanda putauit ſe habere, quæ valde accuratè Corollario decimo ſexto exhibebit. Sic ergo poſt prædictos tres Pontifices exhibitos pergit cap. 4. *Continuatam fuiſſe Eccleſiæ Romanæ traditionem qua ſolenniori baptiſmo Paſcha tantùm & Pentecoſte conſecrantur Gregorius ſecundus ſignificat in epiſtola* 4. *ad Clerum & plebem cui Bonifacius fuerat ordinatus Epiſcopus. Gregorij verba ſi quis requirit, hæc ſunt: Sacro-ſancti baptiſmi Sacramentum nonniſi in Paſchali feſtiuitate & Pentecoſte nouerit eſſe prabendum; exceptis iis quibus mortis vrgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis ſubuenire*. Subinde verò: *Hic Pontifex multorum authorum inſtar eſſe poteſt* (inquit) *qui receptam à majoribus ſolennioris in Paſchate & Pentecoſte baptiſmi conſuetudinem laudat, eamque à Bonifacio obſeruandam præſcribit.*

§ 1.

Vides hîc rurſum, Lector, titubantem, nutantem, euagantem, nugantem, ſibi planè aduerſantia (quæ tantò

tantò magis veritati fauentia ſint) proferentem. Nempe cùm Pontificem iſtum inſtar multorum eſſe dicit, qui duobus dumtaxat verbis rem inſinuat quam priùs Leo & Siricius tam prolixè probarunt & neruosè, vt ſtatim ipſe fatebatur: Cùm eum propterea multorum inſtar dicit eſſe, quia receptam conſuetudinem laudat, qui nec de illa vnum verbulum dicit, ſed ſimpliciter ſignificat quid obſeruandum injunxerit Bonifacio; & alioqui Siricius ac Leo illam potiùs operosè inculcarint non receptam à Majoribus tantùm, ſed ab Apoſtolorum Traditione deriuatam: Cùm ad ſolius Eccleſiæ Romanæ continuatam traditionem oſtendendam exemplum profert ad Germanicas Eccleſias pertinens, illum vſum & morem iuxta Papæ Decretum obſeruantes; qui poſt præſcriptas nempe Bonifacio leges commemoratas addit, *Clerum ac plebem illi ſedis Apoſtolicæ præcepta ſeruanti obſequi cum deuotis animis oportere:* Cùm, etſi modò Cleri eius ac plebis nomen ſubticuerit, Corollario tamen ſexto-decimo illud exprimens, eo ipſo

Decretum Pontificis in Germaniam penetraſſe fatetur, & in ea ſuſceptum reuerenter, ac ſolicitè obſeruatum: Cùm id agnoſcit ſaltem præſcriptum eſſe Bonifacio, quod natione Anglus, quod Germanorum ob eorum conuerſionem Apoſtolus, quod Epiſcopus Moguntij (vel Thuringiæ ſi vult) in ipſis Germaniæ faucibus Pontificis Romani nutu obſeruaret: Sit ergo Launoïo multorum inſtar Gregorius: Hinc eò magis vt multorum teſtimonio conuincetur, quàm præpoſterè Pontificia in eiuſmodi ſacris rebus Decreta intra muros Romanos tantùm vel intra Prouinciæ Romanæ fines terminoſque concludat; quamuis ea generaliter ſine vlla reſtrictione concepta ſint, ſicut huc ſpectantia tum Gregorius ipſe tum expreſſiùs Pontifices prædicti conceperunt.

§. 2.

Quid porrò neceſſe eſt accuratiùs annotare minuta quædam & parerga quæ circa hoc Decretum Gregorianum Corollario ſexto-decimo iam indicato notat? quòd Iuo Carnotenſis in prima parte ſui Decreti Gregorio

primo id aſcripſerit; quòd ſcripſerit *Cleri & plebi Tarenſi*; quòd etſi *Gregorium primum* non expreſſerit, intellexerit nihilominus illum, cùm ſimpliciter & abſolutè Gregorium ſine addito quaſi antonomaſticè nominauit; quòd nullus Clerus vel populus Tarenſis apud illum occurrat; quòd neſciat an vllus talis ex aliis haberi poſſit; quòd Gratianus de conſecrat. diſtinct. 4 Gelaſio primo illud ipſum tribuat, quamuis nullam ad Clerum & populum Tarenſem vel Tarentinum epiſtolam ſcripſerit in qua eandem diſciplinam decernat; quòd Gratiani Correctores ex epiſtola Gregorij ſecundi ad Clerum & plebem Thuringiæ deſumptum eſſe obſeruarint: Quorſum hæc enim niſi vt Iuo conuincatur in Gregorij primi præſumptitio indice, Gratianus in Gelaſij primi tranſmutato nomine aberraſſe? Quamuis iidem Correctores quorum integram Appendicem ſupprimit, addant quòd ex Gregorio ſecundo Iuo citet, quia fortaſſis in aliud Exemplar quàm quod paſſim habemus incurrerunt; & ipſum Gratianum excuſent ex Gelaſio id

notantem, quia fortaſſe idem à Gelaſio ſancitum eſt. Sed aberrarint ambo nec excuſari poſſint, quid ad præſens? Quando à Gregorio ſecundo illud eſſe Decretum Launoïus agnoſcit; quod perinde omnino putandum eſt ac ſi vel Gelaſius primus vel Gregorius primus propter parem omnium Pontificum in iſtis rebus authoritatem decreuiſſet. Vnum dumtaxat expendendum ex annotatis illis deſumemus; quòd Gregorio primo id perperàm aſcribi dicat, quia iis quæ de illius mente capite 8. explicatæ Traditionis diſſeruit Decretum illud repugnaret.

CAPVT V.

De Gregorij Magni ſenſu antedicta potiùs confirmante quàm infirmante contra Launoïanam impoſturam.

QVID verò Gregorius per antonomaſiam dictus, id eſt primus, dixiſſe præſumitur Prædeceſſorum ſupradictis Decretis tam repugnans? Quia nimirum cùm de Anglorum

conuerſione per Auguſtinum Epiſcopum factâ loquitur lib. 7. epiſtolarum, Indictione 1. epiſt. 30. ſic ait: *In ſolennitate Dominicæ Natiuitatis pluſquam decem mille Angli ab eodem nuntiati ſunt fratre & Coepiſcopo noſtro baptizati:* Nec hunc baptiſmum reprehendit; imò cum elogio refert, vt cap. 8. partim & 21. vel vltimo Corollario Launoïus gratulabundus notat; indeque infert ſupradicto capite quòd pro more Anglorum Gregorius cùm ſic loquitur facit, & baptiſmo ſolenniori Natiuitatis vel etiam Epiphaniæ authoritatem conciliat.

§. 1.

Ita-ne ſignificat ordinarium vſum cùm ſingulare factum laudat propter extraordinariam cauſam quæ mox ex eius verbis eruitur? Aut pro more Anglorum facit quem apud Anglos nondum fuiſſe vllum præſupponit? Quem intelligis morem, Launoïe, Launoï, Launoïne? Quem nullum talem apud eos fuiſſe poſt illorum conuerſionem tuis ipſius verbis oſtendemus, cùm inferiùs Eccleſiarum vſum aggrediemur exhibere; ac propterea

nullum qui Gregorij authoritate niteretur; nec vllus eſſe ante conuerſionem eorundem potuit quem ſequeretur Auguſtinus, aut Gregorius comprobaret. Hoc te ipſius Gregorij docere verba potuerunt, Magiſter, ſi legiſſes non minùs diligenter ac ſupradictam epiſtolam Leonis legit Frater à quo indiligenter lectam cauillaris. Legeris illa, credo; ſed pro more quem non probaret Gregorius diſſimulanda exiſtimaſti vt faciliùs decipere incurioſos poſſes aut incautos. Cur alioqui non integra & plena repræſentas? Accipe illa tandem ſi non legiſti, aut accipiant illi quibus exhibuiſti detruncata. Sic ergo ſcribit Eulogio Alexandrino Epiſcopo: *Dum gens Anglorum in mundi angulo poſita, in cultu lignorum ac lapidum perfida nunc vſque remaneret, ex veſtræ mihi orationis adjutorio placuit vt ad eam Monaſterij mei Monachum in prædicationem tranſmittere Deo authore debuiſſem:* Et paulò infrà: *Iam de eius opere ad nos ſcripta peruenerunt quia tantis miraculis vel ipſe vel hi qui cum eo tranſmiſſi ſunt in gente eadem coruſcant, vt*

Apoſtolorum virtutes in ſignis quæ exhibent imitari videantur: Tunc ea ſubdit immediatè quæ notata ſunt quòd in *ſolennitate Dominicæ Natiuitatis* &c. Hæc nimirum cauſa eſt cur tunc fuerint Angli tanto numero baptizati, quia recens & miraculis procurata eorum conuerſio neceſſitate quadam poſtulabat: Vbi mos, vbi vſus, vbi Decretum Gregorij, baptiſmum illum velut ex more vel ex vſu collatum approbantis?

§. 2.

Nam quòd cæterùm non aliud quàm Leo, quàm Gelaſius, quàm Siricius ea de re ſenſerit citra neceſſitatem quam omnia Decreta exceperunt, ſatis oſtendit in Sacramentario quod pro ſacris ritibus explicandis ac obſeruandis exarauit. Ibi-ne verbum vel in ſolennitate Dominicæ Natiuitatis vel in Epiphania de baptiſmo ſolenni conferendo? At in Sabbatho Paſchæ: *Præſta quæſumus vt ſicut priorem populum ab Ægyptiis liberaſti, hoc ad ſalutem gentium per aquas baptiſmatis opereris:* Deinde in alia oratione: *Concede propitius vt quos aquâ baptiſmatis abluis*

continuâ protectione tuearis: Et rurſum in alia : *Reſpice propitius ad deuotionem populi renaſcentis qui ſicut ceruus aquarum tuarum expetit fontem ; & concede propitius vt fidei ipſius ſitis, baptiſmatis myſterio animam corpuſque ſanctificet:* Item proximè ante benedictionem fontis : *Adeſto magnæ pietatis tuæ myſteriis, adeſto Sacramentis, & ad creandos nouos populos quos tibi fons baptiſmatis parturit ſpiritum adoptionis emitte:* Ac in benedictionis ipſius proœmio : *Reſpice in faciem Eccleſiæ tuæ & multiplica in ea regenerationes tuas qui fontem baptiſmatis aperis toto orbe terrarum gentibus innouandis :* Et in progreſſu : *Sit fons viuus, aqua regenerans, vnda purificans ; vt omnes hoc lauacro ſalutifero diluendi perfectæ purgationis indulgentiam conſequatur:* Et in concluſione poſt baptiſmum qui benedictionem ſubſequitur : *Qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua & Spiritu-ſancto, emitte in eos ſeptiformem Spiritum tuum* &c. Et in Sabbatho Pentecoſtes, *Quos aquâ baptiſmatis abluis*, vt iam priùs.

Quod ergo de baptiſmo Anglorum ſcribit aut gratulatur factum eſſe,

idem eſt quod fieri debere monet lib. 7. epiſtolarum, Indictione primâ, epiſt. 24. cùm neceſſitas vrget: Fauſtino quippe ſcribens de quibuſdam Iudæis qui conuerti volebant vt eorum deſiderium ſuis adhortationibus adjuuare feſtinet, addit quòd *ſi longum vel triſte videtur eis ſolennitatem ſuſtinere Paſchalem* (id eſt expectare) *ac eos nunc ad baptiſmum feſtinare cognoſcit, ne (quod abſit) longa dilatio eorum poſſit retro animos reuocare, loquatur cum Epiſcopo loci vt die Dominico aut ſi celeberrima feſtiuitas fortaſſis occurrerit, eos omnipotentis Dei miſericordiâ protegente baptizet:* Ecce vt Paſcha definitè agnoſcit conferendo baptiſmo deſtinatum; ſed poſtulante neceſſitate planè ſimili quæ in Anglis occurrit, in alia ſolenni qualicunque feſtiuitate conferri poſſe, ſicut Anglis collatum gratulatur. Quò iam euadet illa tam impotens Magiſtri contra Fratrem inſultatio, *Inuadat Frater in talem & tantum Pontificem, & eum contra Leonis Decreta celebratum in Chriſti Natalitiis baptiſmum approbaſſe pronuntiet?* Nam Frater propter ſolam ne-

ceſſitatem ſic approbaſſe Gregorium oſtendit euidenter. An hoc eſt Siricij, Leonis, Gelaſij Decretis aduerſari, aut non diſplicuiſſe Gregorio quod Siricio & Leoni diſplicuerat, vt inculcat Corollario ſexto? Addi potiùs illis poſſit huius ipſius Gregorij Decretum quoddam implicitum ac virtuale quod in verbis prædictis pro Paſchali ſolennitate citra neceſſitatem ad baptizandum ſuſtinendâ vel expectandâ ſupponitur. Et hæc omnia in Decretis ab Eccleſia palàm receptis extant, vt in variis capitibus diſtinct. 4. de conſecrat. videre eſt. Num ergo potuerim contra euidentia Eccleſiæ Decreta factum dicere quod in Epiphania factum Anonymus à me putatus oſtentabat? Nec factum eſſe diffitemur, ſed ex abuſu quem agnoſcere ipſe non vult, non ex vſu quem legitimum vult videri. Hoc expendendum nunc ſupereſt.

SECVNDA PROPOSITIO

In Eccleſia Orientali primitiua Baptiſmus tum Paſchatis tum Pentecoſtes à Patribus & Doctoribus Græcis expreſſè aſtruitur; non alterius cuiuſcunque diei ſolenniter ad illum deputati.

PRÆTER ſuſceptum à me penſum Propoſitio iſta eſſe poteſt; quia cùm contra Theſim hoc dixiſſem quæ vſum illum præſumptitium ad Eccleſiam Occidentalem referebat, nec ſe aliter defenderet qui Theſim propugnandam exhibuerat quàm quòd ex Anonymo ſuo, vt vocabat, eundem vſum ſe accepiſſe inculcabat in Eccleſia Occidentali frequentatum, ſufficiebat mihi ſi hoc aduersùs Eccleſiæ Decreta dici oſtenderem quę apud Eccleſiam Occidentalem obti-

ceſſitatem ſic approbaſſe Gregorium oſtendit euidenter. An hoc eſt Siricij, Leonis, Gelaſij Decretis aduerſari, aut non diſplicuiſſe Gregorio quod Siricio & Leoni diſplicuerat, vt inculcat Corollario ſexto? Addi potiùs illis poſſit huius ipſius Gregorij Decretum quoddam implicitum ac virtuale quod in verbis prædictis pro Paſchali ſolennitate citra neceſſitatem ad baptizandum ſuſtinendâ vel expectandâ ſupponitur. Et hæc omnia in Decretis ab Eccleſia palàm receptis extant, vt in variis capitibus diſtinct. 4. de conſecrat. videre eſt. Num ergo potuerim contra euidentia Eccleſiæ Decreta factum dicere quod in Epiphania factum Anonymus à me putatus oſtentabat? Nec factum eſſe diffitemur, ſed ex abuſu quem agnoſcere ipſe non vult, non ex vſu quem legitimum vult videri. Hoc expendendum nunc ſupereſt.

SECVNDA PROPOSITIO

In Eccleſia Orientali primitiua Baptiſmus tum Paſchatis tum Pentecoſtes à Patribus & Doctoribus Græcis expreſsè aſtruitur; non alterius cuiuſcunque diei ſolenniter ad illum deputati.

PRÆTER ſuſceptum à me penſum Propoſitio iſta eſſe poteſt; quia cùm contra Theſim hoc dixiſſem quæ vſum illum præſumptitium ad Eccleſiam Occidentalem referebat, nec ſe aliter defenderet qui Theſim propugnandam exhibuerat quàm quòd ex Anonymo ſuo, vt vocabat, eundem vſum ſe accepiſſe inculcabat in Eccleſia Occidentali frequentatum, ſufficiebat mihi ſi hoc aduersùs Eccleſiæ Decreta diei oſtenderem quę apud Eccleſiam Occidentalem obti-

tinerent, quantumuis probarentur nihil ad Eccleſiam Orientalem pertinere. Certè ſi quis diceret olim aliter baptizatum quàm iſtis verbis, *Ego te baptizo in nomine Patris* &c. quid aliud intelligendum ſuccurreret niſi hanc formam quam vſurpat Occidentalis Eccleſia non ſemper in eadem fuiſſe obſeruatam? indeque rectiſſimè refelleretur oſtendendo quòd eam ſemper formam Eccleſia Occidentalis vſurpaſſet, atque adeo quòd contra Eccleſiæ Decreta manifeſtè pugnaret qui negaret fuiſſe vſurpatam, quantumuis Græci more antiquo ſuo iſtam potiùs (vt etiam nunc) vſurpaſſent, *Baptizatur ſeruus Chriſti* &c. Quidni & ſimiliter in præſenti occaſione dici poſſit? Ne tamen triumphandi occaſionem hinc habere ſe glorietur, aut effugium inaniſſimum putet eſſe quod iuſtiſſimum ſuffugium æquiores arbitri exiſtiment, non detrectabo illud ipſum aggredi oſtendendum quàm in Orientalis Eccleſiæ repræſentando vſu aberrarit.

Conſentit enimuerò quòd in Orientalibus Eccleſiis Paſcha & Pentecoſte

ſolenniori baptiſmo deputantur, vt in titulo duodecimi capitis videre eſt, ac Hieronymi & Chryſoſtomi teſtimonio probat in progreſſu. *Traditionis huius teſtem* (inquit) *habemus Hieronymum qui diu in Oriente multùmque vixit. Sic ergo epiſt. 61. ſcribit ad Pammachium* aduersùs errores Ioannis Hieroſolymitani cap. XIV. (quod pro XVI. perperàm notatum eſt) *Nosne ſcindimus Eccleſiam qui ante paucos menſes circa dies Pentecoſtes quadraginta diuerſæ ætatis & ſexûs Preſbyteris tuis obtulimus baptizandos.*

Annon tu potiùs ſcindis Eccleſiam qui præcepiſti Bethleem Preſbyteris tuis ne competentibus noſtris in Paſcha baptiſmum traderent, quos Dioſpolim miſimus baptizandos? Ex iſtis porrò verbis concludit Launoïus quòd hæc *baptiſmi conferendi tempora ſic memorat Hieronymus vt ex primæua Traditione manare judicetur.* Tum deinde pro Pentecoſte Chryſoſtomum ſerm.36. ſic dicentem inducit : *Si non eſſet in nobis Spiritusſanctus, quomodo iſti qui hac ſacrâ nocte baptizati ſunt, à peccatis liberari potuiſſent?* Et quidem his duobus teſti-

moniis contentus addit : *Res iſta pluribus non eget argumentis.* Quidni addidit Baſilium & fratrem eius Gregorium Nyſſænum, illud ipſum de Paſcha ſaltem aſſerentes? niſi quia veluti ſingularem prærogatiuam id vterque Paſchati conuenire citra neceſſitatem quotidianam ſignificat; & ſingularem non vult antiquitatis reformator ſed cum Epiphania Nataliq;communem? *Ad baptiſmi ſalutem* (inquit Baſilius in exhortatione ad baptiſmum) *quodlibet tempus accommodum eſt : Opportunius tamen meritò cenſebitur quod magis propriè ad baptiſmum facit : Quod autem tempus magis baptiſmo cognatum eſt quàm Paſchalis dies? quòd ea dies quoddam reſurrectionis monumentum exiſtat; baptiſmus autem reſurgendi facultas quædam & arrhabo ſit ac pignus : Reſurrectionis ergo gratiam in die reſurrectionis excipiamus.* Gregorius Nyſſænus verò in epiſtola Canonica quam S. Letoïo Epiſcopo Melitinenſi ſcribit : *Feſtum creationis* (inquit) *quod præſtituto annui circuli ambitu ſingulis annis in vniuerſo mundo propter eius qui ceciderat reſurrectionem peragitur, bene ſe habuerit ſi*

hodierno die non ſolùm eos qui ex regeneratione per lauacri gratiam tranſmutati ſunt adducamus ad Deum, ſed eos quoque qui per pœnitentiam &c. Si præter Paſcha & Pentecoſten in Orientalibus Eccleſiis Epiphania iure baptiſmi donata eſt, vt mox baptiſmi reſtitutor capite ſubſequenti ſubjungit, cur ſic Paſcha cuius appendix Pentecoſte, cum elogio ſingulari, citra exceptionem Epiphaniæ, ſimpliciter (ſic vt hîc) expreſſum eſt? Cur Theſſalia quæ pars Græciæ adeoque Orientalis Eccleſiæ membrum eſt, ſic in ſolo Paſchate baptizare conſueuerat vt propterea multi ſine baptiſmo decederent, ſicut Socrates refert & ex eodem Launoïus? Cur nobis non liceat ſic *ad hominem* argumentari, ſi negatiuis argumentis quibus vtitur contra omnes, vti velimus contra illum? Nec Hieronymus qui diu vixit in Oriente, nec ſimiliter Chryſoſtomus qui Conſtantinopolitanus Præſul fuit, nec Baſilius & Gregorius Cappadoces, nec Theſſaliæ habitatores (Orientales licèt) Epiphaniam in baptiſmo commemorando expreſſerunt, vel in baptiſ-

mo adminiſtrando vſurparunt, ſed ſolum Paſcha & Pentecoſten (ſicut patet) Ergo Epiphania in Orientalibus Eccleſiis malè baptiſmi iure donata eſſe aſſeritur & cum Paſchate ac Pentecoſte conjungitur. Quid hîc reponas, venerande Magiſter, aut replices? Argumentamur vt tu negatiuè: Imò & poſitiuè pro Theſſalis, quos in Paſchate ſolo baptizare affirmat abſolutè Socrates tuus: Nec *aliam eorum conſuetudinem* vocat quòd in Epiphania non baptizarent (cuius nec mentionem facit) ſed *aliam à multis conſuetudinibus* quas in aliis rebus ibi refert; & ſaltem non aliam diceret niſi quia in Pentecoſte non baptizabant, ſicut ſuprà; vel quia nec vrgente neceſſitate cum periculo mortis extra feſtum Paſchale baptizabant.

CAPVT I.

Imperitè vel fraudulenter (id eſt Launoïanè) Gregorium Nazianzenum & Chryſoſtomum in contrarium oſtentari.

ATQVI fallimur vehementer, ſi Launoïo placet, ſicut maximè placet: *In hac enim Traditione* (inquit) *& diſciplina toti ſunt Græci Patres :* Et illos quidem Græcos Patres quos exiſtimes indefinitâ iſta loquutione conglobatim ab illo referendos, nonniſi duos refert, qui nec ex parte dicunt illud cui totos vult eſſe incumbentes: Nec ei ſatis vt cap. 13. illos indicet ac eorum verba referat mox notanda; ſed & poſtea Corollario ſecundo ſic reſumit: *In Orientali Eccleſia ſolenniorem in Theophaniis baptiſmum non frequentari ſolùm ſed ab initio frequentari cœpiſſe ſignificant duo clariſſima illius Eccleſiæ lumina, Gregorius Nazianzenus, & Ioannes Chryſoſtomus:* Vt & Corollario 4. *Quòd in Theophaniis baptizatus ſit Chriſtus ea*

ratio eſt cur in Theophaniis Orientalis Eccleſia baptizet, & Græci Patres, Gregorius Nazianzenus, Ioannes Chryſoſtomus, & alij baptizandum eſſe cenſeant; alij nempe quos in pectore vel in ſcrinio ſeruat, aut è ſpatiis vltramundanis cùm viſum erit aduocabit: Rurſumque ne id illi excidat in quo tantum & tam graue momentum ponit, Corollario 5. *Epiphaniam legitimum eſſe baptiſmi tempus oſtendit antiquus & celebris Græcorum vſus quem in paucis nominatiſſimi Patres duo Gregorius Nazianzenus & Ioannes Chryſoſtomus vindicarunt:* Poſtremò, quòd *ſi Decreta quædam prohibeant ne in Theophaniis baptiſmus detur ſolennior, perfidioſos homines & publicæ cauſæ præuaricatores habebimus Gregorium Nazianzenum & Ioannem Chryſoſtomum qui celebrandum in Theophaniis baptiſmum tantopere commendarunt.*

Cadant in terram ictus iſti qui nec leuiter me attingunt; aut in aërem ſicut puluis & fumus euaneſcant: Nam quantumcunque Gregorius Nazianzenus & Chryſoſtomus id cenſuiſſe præſumerentur quod Launoïo

placet, præuaricatores-ne Decretorum dicendi eſſent? quæ nec ad illos peruenerunt, nec peruenire ad alterum illorum potuerunt poſt eius mortem; cùm dumtaxat à Siricio emanarint; & alioqui ad eos tantùm tunc tranſmiſſa ſint quorum erat abuſus corrigendus. Videndum porrò an id reuera cenſuerint Gregorius & Chryſoſtomus quod ſic illos vult cenſuiſſe.

§. I.

Quid ergo Gregorius Nazianzenus? Hoc ex illius oratione 39. in ſancta luminaria (vel in ſancta lumina) refert ipſe cap. iam notato. *Tempus regenerationis eſt; enaſcamur deſuper: Tempus reſtaurationis; primum Adam deponamus: Chriſtus illuminatur; ſimul fulgeamus: Chriſtus baptizatur; deſcendamus cum eo, & unà cum eo aſcendamus:* Deinde orat. 40. in ſanctum baptiſma: *Excuſas te, excuſationes in peccatis oſtendis (vel obtendis) Diem luminum expecto: Paſcha mihi charius eſt: Ad Pentecoſten vſque præſtolabor: Cum Chriſto mihi melius eſt illuminari.* Vnde concludit Launoïus quòd ſic recipiendi baptiſmatis moram omnem

condemnat Gregorius Nazianzenus per hæc verba, *ſiue recipiatur in Paſchate, ſiue in Pentecoſte, vel in Epiphania* &c.

Verè id habet Gregorius: Nec refert quòd eodem tenore nexa non ſint quæ primo loco referuntur, ſed multis interjectis pars poſterior ſeparata ſit à priori; quia referri ad eandem ſignifitionem ambæ poſſunt: Sed nec in eo hærendum eſt quod Gregorij Exemplaria modò habent, ἀναλάβωμεν, & modernus Interpres reddit, *Primum Adam recipiamus*; quaſi ſit ſenſus, vt ad ſtatum gratiæ in qua conditus erat Adam expurgato peccato reuertamur; & Launoïus legit ex alio fortaſſis Exemplari, *Primum Adamum deponamus*; quaſi legiſſet neſcio quis Interpres vetus ἀναβάλωμεν, & ſit ſenſus per oppoſitum, vt veterem Adami corruptelam ſtatu mutato exuamus; quia vterque ſenſus intelligi non incommodè poteſt: An verò ſenſus ille intelligendus vt in Epiphania vel in Luminum feſto ſimul cum Chriſto baptizemur baptiſmo illo quo tunc baptizatus eſt, id eſt baptiſmo aquæ per

quem primò regeneremur? Nihil minùs. Expendat verba quiſquis accuratiùs volet; ac ex antecedentibus & ex conſequentibus verum repetat ſenſum quem præſentia præ ſe ferunt. Antecedentia ſunt iſta: *Sanctus Luminum dies ad quem peruenimus, & quem hodie Dei beneficio celebrauimus, pro principio quidem, Chriſti mei (hoc eſt veræ lucis omnem hominem venientem in mundum illuminantis) baptiſmum habet; meam autem quoque purgationem operatur, ac ei lumini adjumentum affert quod ab eo acceptum peccati caligine obduximus & confudimus. Quocirca diuinam vocem audite, mihi huiuſmodi rerum & diſcipulo & Magiſtro, atque vtinam etiam vobis vehementer inſonantem*, Ego ſum lux mundi: *Ac proinde, accedite ad eum & illuminamini, & facies veſtræ vero lumine conſignatæ minimè confundentur.* Conſequentia verò iſta ſunt paulò infrà: *Videte huius diei gratiam: Videte myſterij huius vim & virtutem: Annon à terra ſurſum ſublati eſtis?* Et poſt multa: *Vbi timor eſt, ibi obſeruatio mandatorum: Vbi autem obſeruatio mandatorum, carnis etiam quæ velut quædam nubes animæ*

lumen obſcurat nec diuini radij ſplendorem purè intueri ſinit, purgatio eſt: Et inferiùs adhuc: *Interim verò purgemur ac ante verbo initiemur, vt nos Deo ſimiles facti verbum aliis præmonſtremus: Age iam, de feſto nonnihil diſſeramus, & cum piis animis feſtique celebrandi ſtudioſis hunc ſacrum diem celebremus*: Et poſtquam plura de Trinitatis identitate diſſeruit; & illam appendicem ſubjunxit, quam priori ſubnectit Launoïus, *Chriſtus illuminatur* &c. quin & addidit quòd *iſta res documento nobis eſſe debet purgationem animique ſubmiſſionem priùs adhiberi debere quàm aliis concionandi munus aſſumatur*, poſt multa rurſum pergit: *Quoniam autem baptiſmi hoc feſtum eſt, & ei qui noſtrâ causâ baptizatus eſt & crucifixus compati neceſſe eſt, age de variis baptiſmi generibus quidpiam diſſeramus vt hinc purgati diſcedamus*: Tum generibus illis variis recenſitis, ac nominatim lacrymarum baptiſmo quo per pœnitentiam expiamur, *Nos autem* (inquit) *hodie Chriſti baptiſmum honore complectamur, ac feſtum honeſtè celebremus, non ventris deliciis operam dantes, ſed ſpiritualiter nos*

ipſos oblectantes : Quomodo verò deliciis indulgebimus? Lauamini, mundi eſtote: *Si per peccatum rubri & vix non ſanguinei eſtis, dealbamini vt nix* &c. En vt baptiſmo Chriſti ſignificatam notat & commendatam purgationem peccatorum quæ per baptiſmum lacrymarum, per actiones pœnitentiæ, per mandatorum Dei obſeruantiam, per paſſionis Chriſti conformitatem, per animi demiſſionem atque humilitatem obtinetur. Vbi baptiſmi eo die ſuſcipiendi conformitas cum Chriſto commendata? Si commendare illam voluiſſet, quidni cùm dixit, *Chriſtus baptizatur*, vt relatum eſt ſuprà, ſubjeciſſet, *vnà cum illo baptizemur*, nec ſic dixiſſet ſolùm, *Deſcendamus cum illo?* Metaphoricum ſignificans deſcenſum in Iordanis nomine iuxta hebraicam ſignificationem adumbratum. Vt ergo circuncidi nos oportere Bernard. dixit cùm circumciſionem Chriſti explicaret, nec niſi ſpiritalem circumciſionem intellexit per quam conformari poſſimus corporali; ſic è baptiſmo Chriſti non aliud inferre Gregorius voluit, niſi vt baptizati Chriſti

puritatem, humilitatem, & obedientiam imitemur. Nam quòd per appendicem inuehitur in eos qui temerè accedunt ad baptiſmum nec ſe ad illum ſolicitè præparant, non proinde ad illud ſpectat vt ſignificet eos ipſo Epiphaniæ die acceſſiſſe; cùm & in eos ibi proximè inuehatur qui ante legitimam ætatem officium concionandi ſumunt; quod ridiculum eſt ita intelligere vt illo die aſſumpſiſſe hoc munus arguantur; ſed ex baptiſmi Chriſti circumſtantiis eruitur vtrumque, vt legitimè tempore ſuo ab vnoquoque cui opus fuerit obſeruandum.

Iam quod Oratione 40. eos qui differunt baptiſmum hanc excuſationem obtendere ſuæ dilationis ait, *Luminum diem expecto, baptizari cum Chriſto præſtat*, quidni non ex publico vſu qui eum diem obſeruaret, ſed ex priuato ſenſu qui prætextu præſumptitiæ deuotionis veram negligentiam excuſaret, exiſtimemus dictum eſſe? cùm alioqui vſum illum non inſinuet vllâ communi lege inſtitutum; nec eos dicat hanc excuſationem prætexere vt ſolenniùs iuxta eundem vſum baptizentur.

baptizentur. Nec obſtat quod poſtea ſubjungit, & afferre omiſit Launoïus: *Non tantum te demittes quantum Chriſtus cui hodie baptizaris* : Nam nec præcisè ipſo Luminum die habita ſupponitur hæc Oratio; nec aduerbium illud *hodie* certum diem determinatè ſignificat, ſed ſolummodo indefinitè tempus preſens quod opponatur præterito; ſicut & in progreſſu Orationis cum variis exemplis multoties ab illo vſurpatur. Non magis iuuat quod inferiùs rurſum in eadem Oratione ſubdit : *Confeſſionem in Patrem & Filium & Spiritum-ſanctum hodierno die tibi committo, & cum illa te baptizabo* : Non enim ad aliquem eodem die baptizandum alloquutio illa determinatè dirigitur, cùm nec ex vno comprobari ſufficienter vſus communis poſſet, ſed ſicut priùs indefinita loquutio eſt ad quemcunque quocunq; die baptizandũ quem de ritibus in baptiſmo illius adhibendis informet; adeo vt occaſionem accipiens ex illo die quo ſolenniter Baptiſmus Chriſti celebratur ea quæ in baptiſmo agenda ſunt explicet, ſed baptiſmum proinde non conferat aut ſignificet

conferendum. Cur autem conferendum ſignificaret aut conferret, quem ſic alij Græci Patres non ſignificant? ne Chryſoſtomus quidem quem Gregorio Nazianzeno ſubnectendum putauit Launoïus.

§. 2.

Quid Chryſoſtomus? *Hæc dies eſt qua baptizatus eſt Chriſtus & aquarum naturam ſanctificauit; propttereaque in hac ſolennitate ſub media nocte omnes cùm aquam hauſtam acceperint, domum latices referunt ac recondunt, & per annum integrum reſeruant; vt pote quòd hodiernâ die ſanctificatæ ſint aquæ; fitque miraculum euidens, dum nil temporis longinquitate aquarum illarum natura corrumpitur; ſed integro anno, atque adeo biennio ſæpè quæ fuit hodie hauſta, incorrupta & recens permanet, ac poſt tantum temporis cum iis quæ fuerant de fontibus nuper eductæ, de integritate certat;* vt ex Oratione de baptiſmo Chriſti non ſine quodam ambiguæ conſcientiæ ſcrupulo refert: Vnde addit: *Hæc aquæ conſecratio quæ tanto cum apparatu in Epiphania peragitur quæque æſtimatur tanti, ad collatum eo die baptiſmum ſpectat;*

quamuis baptiſmi non meminerit Chryſoſtomus : Qui autem negabit, viderit quò ſanctiſſimi Patris oratio pertineat.

Eſt quod mireris, Lector, verſatiſſimi huius Critici verè verſatilem genium, & huc illuc variè ſe flectentem. Vnica illi ferè ac perpetua exoticarum aſſertionum argumenta ſunt, *Non dixit hic aut ille, Rejici ergo debet:* Eumque tam ſubtilem argumentandi modum ad exturbandos quoſdam Sanctos ab eo paſſim vſurpatum Charentonici Approbatores valde laudant: Nunc autem ad baptiſmum Epiphaniæ ſpectare vult quod Chryſoſtomus dicit, *quamuis baptiſmi non meminerit.* (inquit) Cuius vtique meminiſſe maximè debuiſſet ea occaſione qua baptiſmum repræſentabat Chriſti, ſi propterea illo die ad quandam eius conformitatem baptizandos putaſſet Chriſtianos. An aquæ benedictæ quam in priuatas ædes aſportabant in eius aquæ reuerentiam qua baptizatus erat Chriſtus, tam accuratè meminiſſet; nec vllo modo meminiſſet baptiſmi quem in publico coetu ad honorem baptiſmi Chriſti præſumeretur

accepiſſe ? Ita-ne ſui oblitus eſſet Chryſoſtomus, an ſui compos non eſt qui hoc tam ridiculè putat ?

Sedenim ſuperfuſa ex improuiſo eius oculis aqua viſum ei offundit, ne videat quò ſpectet Chryſoſtomi de tam ſolenni aquæ apparatu & benedictione oratio; & id videndum his relinquat qui de baptiſmo agi negant. Non operoſum ſibi putabunt illud qui non oculis Launoïanis inſpexerint. Viderit verò ipſe cùm oculorum offuſionem excuſſerit, quò ſpectet Eccleſiæ tam ſæpè repetita ſolennis oratio qua Dominicis quibuſcunque diebus aquam in Chriſtianos aſpergendam publicè benedicit; *vt quidquid in domibus vel in locis fidelium hæc vnda reſperſerit, careat omni immunditiâ, liberetur à noxa; non illic reſideat ſpiritus peſtilens, non aura corrumpens* &c. Nunquam-ne illam in tot Ritualibus legit quæ videri vult tam diligenter euoluiſſe, ſi nec audiuit fortè in Eccleſia legi ? An ſi Dominicalis aqua in domeſticas ædes à Chriſtianis deportari tam ſalutari fine ſupponitur, vt multis mos eſt deportare; mirum fuerit aquam illam in

eundem ſalubrem vſum eſſe olim ab iis deportatam quæ in reuerentiam aquæ quam puriſſimæ carnis contactu quando baptizatus eſt ſanctificauit Chriſtus, fuiſſet ſolenniùs ipſo Epiphaniæ die benedicta? Et an proinde neceſſe ſit eam intelligere de baptiſmo, qua non dicuntur baptizati Catechumeni, ſed potati dumtaxat vel aſperſi de nocte Chriſtiani (ſiue vt Græca vox fert ὑδρευσάμενοι)

Formet nunc argumentum ex principiis à ſe toties ad nauſeam & faſtidium repetitis: *Non eſt credendum quod aliquo tempore factum dicitur, & authores coætanei non dixerunt: Ergo quamuis baptiſmum ipſo Epiphaniæ die datum non dicat Chryſoſtomus, orationem tamen eius neceſſariò ad baptiſmum ſpectare credendum eſt* Quàm ſe in riſum effunderet Magiſter, ſi ſic argumentatus eſſet Frater! Liceat ergo Fratri pro reciproco jure in Magiſtrum jocari ſic nugantem. Oſtentauerat Patres Græcos in eam de baptiſmo traditionem totos quanti ſunt incumbentes: Et ecce duos tantùm velut omnium vice nihil ſibi fauentes intro-

ducit! Alterum quem obliquo & æquiuoco ſenſu non proprio & vero intelligit: Alterum quem dicere aliquid probat quia nihil expreſsè dicit vbi maximè occaſio dici expreſsè poſtulabat.

Quid quòd præter orationem illam quam de baptiſmo Chriſti Chryſoſtomus edidit & nunc verſamus ex profeſſo, duas alias quoque de ſimili addidit argumento, & in vtraque illa quarum vnam inſcribit εἰς ἅγια θεοφάνια, vnam in ſanctum Præcurſorem & in Theophania ſimul, Chriſti baptiſmum rurſus plenè verſat; nec de baptiſmo Chriſtiano tunc propterea conferendo ſyllabam vnam inſinuat, cùm alioqui de baptiſmo directè ageretur? Aliâ tamen oratione quam inſcribit *in ſanctum Paſcha* verſùs finem orationis: *Nunc ad eos vtique dirigere ſermonem volo* (inquit) *qui hac lucidâ nocte baptiſmatis gratiam conſequuti ſunt; nempe ad elegantes illas & nouellas Eccleſiæ plantas, ad ſpiritales & vernantes flores, ad Chriſtianæ militiæ tyrones* &c. Quod Magiſter diſtractus in tam multa non vidit aut ſcienter

omiſit; Frater tam pauca reſpiciens auſpicatiùs vidit, & ad Magiſtri manifeſtam conuictionem omittendum hîc non putauit. Cur enim Chryſoſtomus ipſo Epiphaniæ die de baptiſmo directè agens non exprimeret quod expreſſit in Paſcha vbi de reſurrectione agebatur directè tantùm, ſi fuiſſet baptiſmo conferendo vt Paſcha dies Epiphaniæ conſecratus. Alios ergo ſibi quibus prætextitiam traditionem ſuam probet Criticus quærat; & quia nullos inuenturus eſt quos producat, videri nobis anticriticus non detrectet.

CAPVT II.

Non minori fraudulentiâ vel inſcitiâ rituale Græcorum in obliquum ac præpoſterum ſenſum detorqueri.

EGo-ne tamen ſic audacter? Hanc audaciam vt reprimat indignabundus, totum in me Græcorum Rituale vibrabit quod proprio idiomate ſuo Euchologium vocant, quaſi *ratio-*

nale precum ſiue *orationum* inſinuent. Etſi timidè ſatis telum illud excutit ac languidè, quia inuitâ licèt conſcientiâ debilius agnoſcit quàm vt lædat; niſi potiùs tale quod in eum debeat retorqueri: *Deinde colligitur ex Euchologio* (inquit) *vbi habetur*, ἀκολουθία τοῦ μεγάλου ἁγιασμοῦ τῶν ἁγίων θεοφανείων, ſiue, vt reddit, *Officium majoris aquæ benedictæ, in ſanctis Theophaniis.* Quam opportunum ei futurum erat, ſi βαπτισμοῦ legere potuiſſet pro ἁγιασμοῦ, vt & redderet *Officium baptiſmi!* adeoque intelligendam nobis daret non aquam ſolùm apparatu ſolenniori benedictam, per antitheſim ad minorem cuius ibidem Officium præceſſit (μικροῦ ἁγιασμοῦ) ſed baptiſmo in ſanctis Theophaniis adminiſtrando deputatam. Atqui non baptiſmalẽ ſed ſolenniùs tantùm benedictã non inſcriptio ſola ſed integra ſeries Officij cum ad baptiſmũ tum ad aquã benedicendam pertinẽtis oſtendit euidenter. Nam & in illo ipſo Euchologio quale nobis nupera Editio communicauit, Officium Baptiſmi ſine vlla Epiphaniæ mentione ſeorſim exhibetur, ac Officium aquæ majoris

benedictæ poſt interjecta officia detonſionis capillorum, ſponſaliorum, coronationis nuptiarum, deponendarum à maritatis coronarum, conjunctionis Digamorum, Olei ſancti, aquæ minoris benedictæ, ſine baptiſmi mentione vel ſignificatione ſubjungitur: Et quamuis propter Chriſti batiſmum qui tunc repræſentatur, quædam interſerantur de baptiſmo Apoſtolicæ vel Propheticæ lectiones vt cum Euangelio eum expreſsè commemorante reſpondeant, Orationes tamen illæ quæ ad majorem aquam benedicendam (vel ad majorem aquæ ſanctificationem) adhibentur nihil continent quod referri ad baptizatos eo die ſed promiſcuè ad Chriſtianos omnes vbicunque locorum oporteat. Sic enim benedicens precatur, *vt fiat aqua illa ſanctificationis donum, peccatorum ſolutio, in animæ corporiſque ſalutem, & in omnem commodam vtilitatem; vt fiat aduersùs omnes inſidias viſibilium & inuiſibilium inimicorum munimen; vt ſit haurientibus & ſumentibus in ſanctificationem domorum; vt fiat in purificationem animarum & corporum*

omnibus ex ea haurientibus vel ex ea cum fide percipientibus; nec ob aliud præmittitur *vt reſideat in illis purgatrix ſuperſubſtantialis Trinitatis operatio*, aut *vt illis redemptionis gratia, benedictio Iordanis, aduentu & virtute Spiritusſancti concedatur*; cùm ſimilia nos etiam in aquæ benedictæ ceremonia Dominicis diebus vſurpemus: Vnde Sacerdos inclinatus iterum dicit: *Exaudi nos qui in Iordane baptizari non abnuiſti & aquas ſanctificaſti; ac omnibus nobis conditionem noſtram ſeruilem demiſſione capitum profitentibus benedic, & nos per huius aquæ perceptionem ſanctificatione tuâ cumulari concede*: Tum deinde aſpergit aquâ illâ cunctum populum, vt ibidem additur, nec per vmbram inſinuatur quòd baptizet. An ex Euchologio ergo baptiſmus colligitur ipſo Epiphaniæ die iuxta Græcorum ritum celebratus? Nempe pro Launoïj more qui quodlibet colligit ex quolibet, vt & ex nihilo quodlibet, & ex quolibet nihil. Scio Goarem noſtrum id ſimiliter collegiſſe non tam ex benedictione illius aquæ quam ex Nazianzeni & Chryſoſtomi verbis à ſe ſic vltro intel-

lectis, cùm Notas in prædictum Euchologium exararet: Sed id Neotericis Græcis quibuſcum in Inſula Chienſi verſatus eſt aliquandiu, indulſerit: Nos autem cur ſequamur quod cum originali textu non conſentit? ac non potiùs inter illa putemus reponendum quæ Beſſarion (quamuis & ipſe Græcus) ingenuè de ſuis notat, quòd rituum apud Latinos ex integro permanentium propter temporum calamitatem ſint obliti, vel eos præpoſterâ interpretatione peruerterint? & propterea nihil aliud in benedictione majori quæ in ſanctis Theophaniis aquam ſanctificabat intelligamus quàm quod à Chryſoſtomo intellectum fuiſſe citra vllam baptiſmi adminiſtrationem oſtendimus. Quid quòd prædictus Goar in Codini Tractatum de officiis Imperij Conſtantinopolitani cap. 8. vbi ſola benedictio & aſperſio aquæ ad feſtum diem Epiphaniæ pertinere ſignificatur nec de baptiſmo quidquam indicatur, nihil etiam ipſe de aqua illa notat niſi quòd bis benedicerent eam Græci? veſperi ſemel in vigilia feſti, & rurſus manè

in ipſius diei Miſſa; nec de aqua baptiſmi quidquam addit, cui aſperſio non ſatis bene conueniret; nec eo caſu diceretur aſpergi ad populum, ſed ad baptiſmi vſum applicari.

Appendix porrò quam de Petro Gnaphæo Launoïus ex Theodoro & Cedreno ſubjungit, quónam tendit? niſi vt ſe deluſum probet aut illudere nobis pergat. *Cæterùm* (inquit) *huius aquæ conſecrationem publicè fieri voluit Petrus Fullo, cùm antea priuatim fieret & abſente populo: Sic intelligendus videtur Theodorus Lector de Petro Fullone ſcribens:* Aquarum inuocationem in Theophaniis veſpere fieri conſtituit: *Sic quoque Cedrenus in vita Zenonis:* Petrus Gnaphæus aquarum in ſanctis Chriſti Theophaniis orationem fieri primus excogitauit: *Quòd autem ita intelligendi ſint Theodorus & Cedrenus docet Petri de chriſmatis conſecratione ſanctio cuius illi mentionem faciunt his verbis:* Adinuenit primus vt chriſma in Eccleſia populo præſente conſecraretur. *Quòd ſi hanc interpretationem non admittant Theodorus & Cedrenus errarunt: Siquidem baptiſmalis aquæ conſe-*

crationem Petro Fullone vetuſtiorem eſſe tradit Baſilius in libro de Spiritu-ſancto: Benedicimus (*inquit*) baptiſmatis aquam & vnctionem, oleum inſuper & baptizatum; quibus verò Scripturis edocti? nonne à ſilente & ſecretâ traditione? *His autem quid poteſt eſſe clarius?*

Nihil planè clarius quàm quòd benedictio aquæ baptiſmalis Petro Fullone vetuſtior fuerit: Sed quid ad Theodorum vel Cedrenum? qui aquæ baptiſmalis benedicendæ Petrum illum authorem non faciunt; imò nec eius aquæ quam in ſanctis Theophaniis benedici ſolitam olim (etſi non baptiſmalem) ex Chryſoſtomo, ex Codino, ex ipſo græco Euchologio patet; ſed quòd eam quæ priùs nocte in ipſum diem Epiphaniæ deſinente conſueuiſſet benedici, vt ſuperiùs Chryſoſtomus indicat, benedici veſperi ſtatuerit. Nam in Cedreno quoque illud *veſperi* exprimitur quod Launoïus vel Typographus prætermiſit. Non ergo Theodorus errauit nec Cedrenus, quamuis Launoïanum ſenſum non ſequantur; ſed in vtroque Lau-

noïus aberrat ſic apertè, vt contra illum rectè concludi poſſit, *Quid clarius?* dum eos putat intellexiſſe quòd baptiſmalem aquam in conſpectu populi benedici Gnaphæus voluerit: Imò ex illis vtriuſque teſtimoniis manifeſtum petitur contra Launonianam hallucinationem argumentum; cùm de aqua benedicenda ſolùm loquantur ambo, nec de baptiſmo quidquam dicant.

CAPVT III.

Fruſtra ſpirituale Pratum, præposterè vel Paulum Diaconum vel Theophanem, ænigmaticè vel obliquè Rupertum in eandem rem inculcari.

SED ſunt alia rurſum quæ opponat; aut quibus Eccleſias Orientales hunc habuiſſe vſum probet vt in Epiphania baptizarent. Primum eſt, quod ex Prato ſpirituali ſic decerpit.

§. 1.

Ad hoc tempus pertinet quod refert

Ioannes Moſchus in Prati ſpiritualis cap. 114. *Somba vicus eſt ad radices montis in quo ſita eſt Coënnenſium ciuitas: In eo baptiſterium eſt quod in ſanctis Epiphaniis ſudat: Qui ſudor per tres horas continuis incrementis augetur; & poſt baptiſma peractum decreſcere incipit, & tribus aliis horis ſenſim deficit.*

Quid ſi verò dicamus primò, parum certæ fidei eſſe caput illud, vt & adjuncta quædam quæ meritò ſuſpecta eſſe poſſunt? Priora enim Prati ſpiritualis ducenta decem capita (pauciſſimis exceptis) græcè ac latinè habentur, quia originalis textus græcus fuit, vt in Bibliotheca Patrum græcolatina videre eſt: Ab vndecimo autem vſque ad decimum nonum ſiue vltimum incluſiuè latina tantùm ſubſequuntur non græca, quorum vnum eſt caput quod verſamus. Deinde, qualis hæc expreſſio, ſudare fontem cùm augetur! quaſi valde ad eius incrementum pertineat vt ſudet, aut ſudare deſinat cùm deſinit creſcere! Sed & poſt illud caput immediatè ſubjungitur aliud quod ſic habet: *Eſt & in Caſtello Cedebratis quod ſub monte*

Ænoandron ciuitatis ſitum eſt, baptiſterium quod in Paſchali ſancta Reſurrectionis feſtiuitate, cùm ſit lapis vnus, ex ſeipſo continuò impletur; duratque aqua illa vſque ad Pentecoſten, moxque tranſactâ Pentecoſte euaneſcit. Vtraque verò illa miracula in Prouincia Lycie fiunt. Si quis autem hæc ita eſſe non credit, vſque ad Lyciam non grande iter eſt; pergat vt rei veritas illi fidem faciat. Mirum quòd ad Epiphaniam aqua illa non duret, ſed mox poſt Pentecoſten euaneſcat, vt in Epiphania non deficiat cùm baptizandum erit: Aut non dicatur ſaltem tunc etiam lapidem illum ex ſeipſo impleri vt ſeruetur Orientalis Eccleſiæ conſuetudo ſic in Epiphania ſicut in Pentecoſte vel Paſchate, qualis ex præcedenti capite præſumitur. Denique quid iſtud eſt vt Eccleſiæ Orientalis præſumptitia conſuetudo ad vicum vnum in radicibus montis ignoti ſitum reſtringatur? etiamſi credamus vltro factum eſſe; ne author ad Lyciam (cuius hinc nimis grande iter eſt) nos remittat exploraturos veritatem: Aut æquiſſimè diſcredere ac tutiſſimè non poſſumus ex miraculo

factum in vico vno quod in celebribus aliis locis vbi fieri ſine miraculo potuit, factum non eſt, vt oſtendimus? Aut non ſaltem hoc ipſum in Paſchate ac Pentecoſte factum diceretur? cùm tempus illud apud Orientalem Eccleſiam baptiſmo deſtinatum fuiſſe tam apertum & certum fateatur Criticus noſter vt non egeat argumentis: Et alioqui habetur cap. 165. quòd ex agro Nicopoleos in ſanctam ciuitatem per magnam hebdomadam pergerent ad baptiſmum filiis exhibendum. Quàm ſubſiliret ac geſtiret vt fabuloſum rejicere, ſi quis aduersùs illum quædam talia produxiſſet!

§. 2.

Alterum argumentum, credo, grauius putat; quia non iam in vico vno ſed in ipſa Imperiali vrbe peractum eſt: Et vt ponderis plus habeat, ex Græco ſimul & Latino Scriptore illud refert. Sic enim ipſe: *De hac in Theophaniis baptizandi conſuetudine apud Græcos loquitur Paulus Diaconus in lib. 16. hiſtoriarum ad annum Chriſti 520. Interea Rex Herulorum Gethes nomine venit Conſtantinopolim cum po-*

pulo ſuo & petiit Imperatorem quòd fieret Chriſtianus : Qui baptizatum in Theophaniis ſuſcepit eum ex baptiſmate, repromittentem auxiliari ei in quibuſcunque voluiſſet. En quantum ad Latinum Scriptorem, cui mox Græcum etiam ſic ſubmittit latinis tantùm verbis expreſſum : *Sed hoc adhuc clariùs traditur à Theophane in Chronico : Herulorum Rex Gretis cum ſubdito ſibi populo Conſtantinopolim aduenit; vt fieret Chriſtianus ab Imperatore expoſcit : Iuſtinianus verò collato eidem in Theophaniis baptiſmo ſuſcepit eum è fonte : Et ſimul cum eo Proceres Senatoreſque ſunt baptizati.*

Vbi conſuetudo ? Magiſter Launoïe : Vbi eius vel apud Paulum Diaconum vel apud Theophanem tenuiſſima expreſſio? Dicunt quòd in Theophaniis Rex Herulorum baptizatus eſt : Ergo Græcorum erat conſuetudo vt in Theophaniis baptizarent. Venerat nempe Conſtantinopolim ſub tempus illud Herulorum Rex à victoriis Iuſtiniani ſibi timens : Venerat cum populo, vt præmiſſum eſt, ſuo : Baptizati pariter cum ipſo Senatores illius & Proceres : An expectandum

in hac neceſſitate tam vrgenti Paſchatis tempus & eo vſque differenda tam numeroſa multitudo? Neceſſitate factum ergo non ex conſuetudine; cuius nec Theophanes ipſe quamuis Græcus meminit vt Baptiſmi tunc dati cauſam reddat. Et hoc eſt planè quod ſuperiùs ex Gregorio notauimus, baptiſmum eſſe in qualibet ſolenniori feſtiuitate quæ occurrerit conferendum, ſi propter nocumentum dilationis vel periculum expectari Paſchale tempus vt id fiat non poteſt. Conſuetudinem igitur baptizandi non magis probet in propoſito Rex Herulus quàm nec hirundo vna ver faciat.

§. 3.

Supereſt vt Rupertum adjungat ad id pleniùs comprobandum. *Hæc autem* (inquit) *Græcorum conſuetudo ſemper obtinuit. Id facilè colligitur ex Ruperto Abbate, qui de ea in lib.* 12. *de victoria verbi Dei c.* 11. *ſic ait*(pro quo eius Exemplar, *agit*) *Diutina ſancta Romanæ Eccleſiæ contra conſuetudinem Græcorum decertatio fuit volentium debere die Epiphaniæ ſolenne baptiſmi celebrare* (vel celebrari) *Sacramentum, pro eo quòd*

illa die conſtat ipſum Dominum à Ioanne aquis Iordanis fuiſſe baptizatum.

Quidni Magiſter explicauit quam diutinam decertationem Eccleſiæ Romanæ contra Græcorum conſuetudinem intellexiſſet eo loco Rupertus? ne diuinari eam oporteret cuius nullum eſt in antiquis Patribus aut Latinis aut Græcis veſtigium. Poterat expreſſiùs Ruperti ſenſum exhibere, ſi quod Rupertus addit addidiſſet: *Romana Eccleſia magnuſque Leo ſcribens è contra, demonſtrat rationabiliter Ioannis baptiſma non ad eandem pertinuiſſe virtutem* &c. Hæc ergo tota diutina decertatio ad illud vnum reuoluitur quod magnus Leo ſcribit ad vniuerſos Epiſcopos per Siciliam conſtitutos; vbi de Græcis aut eorum conſuetudine verbum nullum, nulla quantumuis implicita mentio. Sed vt fortè nomine Siculorum ſubintelligi Græcos probet, atque adeo Græcorum conſuetudinem eam vocari à Ruperto quæ Siculorum fuit, huc reuocabit Launoïus quæ tam ingenioſè Corollario quarto notat. *In Sicilia* (inquit) *græcæ non latinæ linguæ vſum fuiſſe nemo neſcit.*

Hinc Siculi Antiſtites quorum plerique vel Græci erant, vel ſi Latini, certè Græcorum moribus imbuti, baptizandi in Theophaniis morem Orientalis Eccleſiæ in Siciliam induxerant: Et quia Orientalis Eccleſia frequentiorem & celebriorem in Theophaniis quàm in Reſurrectione Domini baptiſmum agebat, Siculi Præſules illam imitabantur: Atque inde, ni fallor, orta eſt Siculorum Antiſtitum diſciplina.

Bene eſt ſaltem, quòd ei tenerior conſcientia poſt tot aberramenta & figmenta ſuggeſſit vt adderet, *Ni fallor!* Nam qua parte vndique non fallitur? Iam ante Ciceronis tempora (id eſt multis ante aduentum Chriſti annis) ad Romanorum amicitiam ſeſe applicuerat Sicilia; iam ad Romanam diſciplinam proximè acceſſerat; iam nihil cæterorum ſimile Græcorum videbatur habere, vt ſeptimâ in Verrem oratione Cicero ipſe profitetur: Et pluſquam quadringentis poſt prædictum aduentum Chriſti, ſiue pluſquam quinquentis aut ſexcentis poſt tempus illud quod indicat Cicero, annis ad huc moribus gręcis cùm gereret

Pontificatum Leo imbuti ſupponuntur! Iampridem plures erant in Sicilia Epiſcopi quos ad Romanam Prouinciam pertinuiſſe ſuperiùs dicebat Launoïus, idque vt ſibi valde opportunum ingenti faſtu (quamuis inani) oſtentabat: Et vſum linguæ græcæ habebant adhuc, non latinæ! quaſi propriam eis quorum ſocij erant addiſcere poſt tot ſæcula neglexiſſent. Iam à Romana Eccleſia conſecrationem honoris acceperant, vt & eorum præceſſores; ac Apoſtoli Petri Sedes fuerat illis mater Sacerdotalis dignitatis;aiebat ſuprà Leo: Et Græci erant vel græcantes Latini tantùm, qui extraneos planè mores ac ritus imbuiſſent! Irrationabilem nouitatem ab iis ac eorum præceſſoribus vſurpatam appellat rurſus Leo: Et tamen Eccleſiæ Orientalis morem in Siciliam induxerant! Falſum omnino eſſe quòd frequentior & celebrior in diuinis Epiphaniis quàm in Paſcha baptiſmus apud Eccleſiam Orientalem ageretur, imò quòd eo die niſi ob cauſam extraordinariam baptizaret, manifeſtum eſt ex prædictis: Et tamen Eccleſiam

Orientalem Siculi Epiſcopi numeroſiùs ipſo Epiphaniæ die quàm in Paſchate baptizantes imitabantur! Quis niſi Launoïus hæc fingat! aut quis credat niſi Launoïanus? Non timeamus ergo, citra hypotheticam parentheſim quam appoſuit, abſolutè dicere quòd fallatur. Exclamet verò contra Fratrem vt *voluat & reuoluat non modò Concilia quatuor prima ſed alia quatuor quæ in Oriente habita ſunt; & ibi de vetito Theophaniorum baptiſmo ne apicem quidem vnum inueniet:* Vox eſt prætereaque nihil: Quid enim neceſſe eſt vt Frater inueniat vetitum quod Magiſter hactenus inuenire non poteſt vſitatum? cùm non prohibeantur quæ non fiunt aut quæ fieri notum non eſt.

Sed etſi demus vltro quod obtinere fruſtra tentat, Orientalem Eccleſiam ſic baptizare conſueuiſſe, ſtabit ſemper quod initio propoſui, aſſertionem quam impugnatæ à me theſis publicæ propugnator ad Eccleſiam Occidentalem referebat, apertis Eccleſiæ Decretis (id eſt Pontificiis ab Eccleſia illa indubiè receptis) repugnare; ac

legitimo eius vſui aduerſari : Quod expreſſiùs Propoſitio ſequens declarabit.

TERTIA

TERTIA PROPOSITIO

Vniuerſalem ac legitimum Eccleſiæ Occidentalis in baptiſmo ſolenni citra neceſſitatem vſum nunquam alium fuiſſe, quàm vt principaliter in Paſchate ac ex adjuncto in Pentecoſte baptizaret.

NON vlteriùs procedendum, quin Launoïj fraudem quantumcunque obtuſam detegamus; qui vſum ex abuſu faciens in me ipſum inſultabundus inuehitur quòd ſic de vſu illo ſim loquutus. *Deinde* (inquit) *cùm ſignificat Frater me vt nouum quid & inuſitatum contendere celebratum quondam eſſe baptiſmum in Theophaniis, apertè docet ſe non legiſſe vel oſcitanter ſcriptam à Leone ad Siciliæ Præſules epiſtolam in qua eos grauiter redarguit quòd*

baptiſmi Sacramentum numeroſiùs in die Epiphania quàm in Paſchali tempore celebrarent : Annon potiùs oſcitare Magiſter dici poſſet dum tam extra rem euagatur, niſi ſic vltro euagari ſoleret, quia fallere geſtit ſemper ; dum de abuſu faſtuosè affirmat quod negaui de legitimo vſu ? Nam qui aliquid abuſiuè fuiſſe factum refert, quid probat contra vſum quem Eccleſia vel inſtituit vel probauit ? An ſi dixiſſet Frater nouum eſſe vt jeiunium Quadrageſimæ diceretur non ſemper eſſe in Eccleſia obſeruatum, illico reponeret Magiſter falsò dici, & ignorare Fratrem quòd plerique Quadrageſimam non jeiunant ? Vtique nec Leonis ad Epiſcopos per Siciliam conſtitutos Reſcriptum oſcitanter inſpexit Frater, nec in Epiphania illos baptizare numeroſiùs quàm in Paſchate ignorauit : Sed eo ipſo quòd id facere contra regulam Apoſtolicæ Traditionis redarguuntur à Leone, nunquid meritò intellexit quòd abuſiua illa conſuetudo nihil ad Eccleſiæ vſum pertineret ? Non ergo diuagemur, Magiſter, nec extra rem in otioſa di-

uerticula excurramus ; atque adeo vſum quæramus non abuſum, & videamus an in Occidentali Eccleſia receptum inuenias, quod ego Frater inueniri à te non poſſe ſuſcipio, nec inueniri potuiſſe ſatis ex illis ipſis antilogicis & confuſis oſtendis quæ diſcutere aggredior.

CAPVT I.

Quis Eccleſiæ Africanæ circa baptiſmi ritum vſus.

EVNDEM quem præfixit ordinem ſequar, vt quoniam ab Africana Eccleſia ſibi exordiendum exiſtimauit, hinc exordium ipſe ſumam.

De illa ergo ſic ſtatuit cap. 1. conformiter ad inſtitutum noſtrum, vt prima eius Traditio fuerit Paſcha tantùm & Pentecoſten ſolenniori baptiſmo deputari; & quòd apud Tertullianum huius Traditionis extent monimenta, qui Latinorum primus & antiquiſſimus ſcriptor de baptiſmo Tractatum edidit, vbi hæc ſcribit

cap. 19. *Diem baptiſmo ſolenniorem Paſcha præſtat cùm & paſſio Domini in quam tinguimur adimpleta eſt: Nec incongruenter quis ad figuram interpretabitur quòd cùm vltimum Paſcha Dominus eſſet acturus, miſſis Diſcipulis ad præparandum, Inuenietis, inquit, hominem aquam bajulantem; Paſchæ celebrandæ locum de ſigno aquæ oſtendit. Exinde Pentecoſte ordinandis lauacris latiſſimum ſpatium eſt quo & Domini reſurrectio inter Diſcipulos frequentata eſt & gratia Spiritus-ſancti dedicata & ſpes aduentûs Domini ſuboſtenſa; quod tunc in cœlos recuperato eo Angeli ad Apoſtolos dixerunt ſic venturum quemadmodum in cœlos conſcendit, vtique in Pentecoſte. Sed enim Hieremias cùm dicit,* Et congregabo illos ab extremo terræ in die feſto, Paſchæ *diem ſignificat & Pentecoſtes qui eſt propriè dies feſtus. Cæterum omnis dies Domini eſt: Omnis hora, omne tempus habile baptiſmo: Si de ſolennitate intereſt, de gratia nihil refert.*

Hierem. 31. verſ. 8. ex contextu 70. Interpretum cap. 38.

Sed poſtquam hæc retulit Magiſter ad probandam Traditionem primam quam ſic vocandam putat, mox cap. 2. addit quòd huic primæ Traditioni

Epiphaniorum dies in Africana Eccleſia ſuccreuit, & quòd huius acceſſionis Victor Vticenſis Epiſcopus teſtis eſt in lib. II. de perſequutione Vvandalica; cuius proinde verba proliXiſſimè refert; & ea tamen ex induſtria prætermittit quæ incommoda ſibi futura ſentit ſi referret; ſed ad probandam inde obliquam eius fidem integriora referemus, cùm paulò infrà illis reſpondebimus quæ recenſet. *Cùm ignis* (inquit Victor) *iam perſequutionis accenderetur, & flamma infeſtantis vbique Regis arderet, oſtendit Deus noſter quoddam miraculum per ſeruum ſuum fidelem Eugenium quod præterire non debeo. Fuit in eadem ciuitate, id eſt Carthagine, quidam cœcus ciuibus ciuitatique notiſſimus, nomine Fœlix. Hic viſitatur à Domino, prædiciturque ei nocte per viſum, dies enim Epiphaniorum illuceſcebat: Surge, vade ad ſeruum meum Eugenium Epiſcopum, & dices ei quia ego te ad illum direxi, & illâ horâ quâ benedicit fontem vt baptizentur accedentes ad fidem, continget oculos tuos, & aperientur, & videbis lumen. Qui tali viſitatione commonitus, putans ſe quomodo*

aſſolet deludi per ſomnium ſurgere noluit cæcus: Sed cùm iterum vergeretur in ſomnos, ſimiliter vt ad Eugenium pergeret compellitur: Rurſus negligit; tertióque grauiter increpatur: Excitat feſtinanter puerum qui ei ſolitus erat manum porrigere: Pergit veloci agilitate ad Fauſti Baſilicam; orat veniens cum ingentibus lacrymis, ſuggerit cuidam Diacono nomine Peregrino vt eum Epiſcopo nuntiaret, indicans ſe habere aliquod ſecreti genus intimandum: Audiens Epiſcopus iuſſit hominem introire: Iam enim ob celebritatem feſtiuitatis hymni nocturni per Eccleſiam canente populo concrepabant. Indicat cæcus Antiſtiti ordinem viſitationis ſuæ; dicitque illi: Non te dimittam niſi mihi ſicut à Domino iuſſus es, reddideris oculos meos: Cui Eugenius ſanctus: Recede à me Frater: Peccator ſum & indignus & ſuper omnes homines delinquens; vtpote qui & in hæc tempora ſeruatus ſum. Ille autem tenens genua eius aliud non dicebat niſi illud quod iam dixerat, Sicut iuſſum eſt, redde mihi oculos meos. Attendens quoque Eugenius inuerecundam credulitatem & quia iam tempus vrgebat, pergit cum eo comitante

officio Clericorum ad fontem ; vbi fixis genibus cum ingenti gemitu pulſans ſingultibus cælum criſpantem benedixit alueum fontis ; & cùm completâ ſurrexiſſet oratione ita cœco reſpondit : Iam tibi dixi frater Fœlix, Peccator homo ego ſum : Sed qui te viſitare dignatus eſt, præſtet tibi ſecundùm fidem tuam & aperiat oculos tuos ; ſimulque vexillo crucis conſignante oculos eius ſtatim cœcus viſum Domino reddente recepit : Quem ſecum quouſque vniuerſi baptizarentur ibi detinuit, ne tanto miraculo populus excitatus virum contereret qui receperat lumen. Fit poſtea manifeſtum vniuerſæ Eccleſiæ : Procedit ad altare cum Eugenio ſicut moris eſt qui fuerat cœcus, ſuæ ſalutis oblationem Domino redditurus, quam Epiſcopus accipiens altari impoſuit. Fit ſtrepitus gaudio metante irreuocabilis populorum : Statim nuntius pergit ad Tyrannum : Rapitur Fœlix, inquiritur ab eo quid factum ſit qualiterque receperit lumen : Dicit ille ex ordine totum : Dicuntque Arianorum Epiſcopi : Hoc Eugenius per maleficia fecit : *Et quia oppreſſi confuſione non poterant nubilare, eo quòd Fœlix vniuerſæ ciuitati manifeſtus eſſet & notus, tamen*

volebant eum ſi fas eſſet necare quomodo Iudæi ſuſcitatum Lazarum cupiebant occidere. Hactenus verba quæ Launoïus ex Victore vſurpat, & referri breuiùs niſi chartam implere vellet potuerunt.

Sed prætermiſit quæ præmiſerat Victor, & quæ cauſam explicant cur in Epiphania Eugenius prædictus baptizarit; in verbis quidem quæ Launoïus refert ſubindicatam implicitè, ſed expreſſiùs in præmiſſis. Nempe Rex Hunnericus Vvandalorum & Alanorum vniuerſis Epiſcopis Homouſianis edixerat & ſe indicauerat ſtatuiſſe vt omnes abſque vlla dilatione ad diem Calendarum Februariarum Carthaginem venirent ad reddendam ſuæ fidei rationem: Et quamuis Eugenius aliam Regi ſuggeſtionem obtuliſſet, Rex tamen qui iam conceperat dolorem, vrgebatur iniquitatem grauiùs parturire; iam Epiſcopos multis fuſtibus verberatos in exilium ablegauerat; iam alios non relegatos fuſtigarat: Quid ergo ad Calendas Februarias expectari poterat ſi Edicto præmiſſo non parerent?

Hæc planè fuit cauſa cur ad Epiphaniæ diem anticipari debuerit baptiſmus vt perſequutionem tam violentam præuerterent; cùm alioqui Siricius & Leo quorum Decreta præceſſerant, hos præ cœteris caſus à baptiſmo Paſchatis & Pentecoſtes excepiſſent, ſi mortis periculum, ſi hoſtilitatis incurſio, ſi anguſtiæ perſequutionis vrgerent, vt aliis diebus conferatur. Ibi-ne quidquam quod ſignificet illum vſum ac morem baptizandi contra prædictam primam Traditionem introductum?

Quàm fruſtra ergo ex his verbis duo ſe colligere dicit Magiſter! vnum quòd Epiphaniorum dies baptiſmo ſolenniori iam ex more fuiſſet conſecratus; alterum, quòd ipſemet præpotens Deus miracula & ſigna ediderit quibus huius diei ſolennitas baptiſmo conſecrata probaretur, aſſereretur, vindicaretur; vt per gradationem Rhetoricam ornatè valde ac eleganter amplificat! Quàm ridiculè contra Fratrem inclamat vehementi admodum æſtu in vltimo Corollario ſupradicto! *Accuſabimus Deum ipſum opti-*

mum maximum quòd celebratum Carthagine in Theophaniis baptiſmum viſis & prodigiis confirmauerit ? O ſcelus ! ô nefas! ô piaculum viuicomburio dignum! Continuò damnabimus Eugenium Carthaginenſem Epiſcopum inſignem martyrem illum cuius operâ, manu, voce Deus ad patrandum miraculum vſus eſt? Dicemus de Eugenio quod Ariani dixerunt, Hoc Eugenius per maleficia fecit? *Hæ ſunt anguſtiæ, hæ fauces, hæ ſalebræ in quas immanis contradicendi libido Fratrem impulit.* Deferueſcat pauliſper tam vehemens Magiſtri æſtus quo cerebrum immoderatè commouetur, & abripitur extra ſeipſam emota mens, nec ſui ſatis in illo æſtu compos. Probet-ne factum eſſe hoc miraculum vt baptiſmo ſolenni conſecrata vindicaretur Epiphaniæ dies! id eſt vt illud ipſum Deus per miraculum comprobaret quod contrarium Inſtitutis Apoſtolicis dicit Leo? Vellet id (credo) magno emptum vt liberiùs Pontificum Decretis illuderet cùm eludenda putat. Probet-ne non potiùs id eſſe factum vt Eugenij ſanctitatem populo commendaret, indeque baptizatos ad

perſequutionem quæ imminebat ala-criùs ferendam animaret? Probet-ne non hoc neceſſitati datum quæ tam præſens vrgebat, vt planum eſt; aut conſuetudini datum eſſe quæ iam antè vigeret, vt præſumit? Probet-ne libidinis contradicendi reum Fratrem, quia tam catholico ſenſu contra illum ſtat pro Decretis? Quod ſcelus Fratris tam nefandum vt non minori pœna expiari quàm viuicomburio poſſit (ſicut Magiſtro placet loqui) ſi nihil prædictorum probat nec probare Magiſter poteſt. Expeditus ergo ſit ab anguſtiis, ereptus è faucibus, ac extricatus è ſalebris in quas impulſum eum dicis, Magiſter ſalebroſe: Nec in alias incurrerit ſalebras niſi tuas quibus inuoluis veritatem: Non in alias niſi tuas etiam fauces, de quibus optandum ſit quod Iob de ſuis aſſeruit vt perſonare ſapientiùs poſſint; Non in alias anguſtias niſi quæ juſtiſſimo illum dolore premant quòd hallucinationibus vel fallaciis tuis tot incautos videat faſcinari quia te ſatis non nouerunt. Abſit vt Frater dicat, *Hoc Eugenius per maleficia fecit!* Sed non

valde dicere timet, *Hoc Launoïus per obtuſum artificium fingit.* Nunc alia figmenta proſequamur.

Capvt II.

Quis Eccleſiæ Gallicanæ circa eundem ritum vſus.

Seqvitvr quidem in Launoïj textu Africanam Romana Eccleſia, quia Romanæ vſum vltra Prouinciam Romanam non extendit: Sed iam de vſu eius magis vniuerſali extra ſeriem aliarum Eccleſiarum diſceptatum eſt; quia Decreta illa quæ retulimus iis concepta verbis erant quæ ad alias propter Traditionem Apoſtolicam pertinerent. Ad Gallicanam ergo veniendum tertio loco à Launoïo propoſitam, & quàm Romanæ conſentiat in eo ipſo de quo agimus baptiſmi ritu expendendum. Non operoſum nobis ea longiùs inquirere quæ ad iſtius vsûs conformitatem pertineant. Liberaliter ea ſuppeditare Launoïus dignatur, quæ proinde ſic

tranſcribimus, etſi prolixiora quàm par eſſet.

Primam igitur Eccleſiæ Gallicanæ Traditionem eſſe agnoſcit & fatetur vt pro baptiſmo ſolenniori Paſchæ tantùm & Pentecoſtes tempus fuerit olim deputatum: Et huic Traditioni fidem commodare celeberrimos addit Scriptores duos, Gregorium Turonenſem, & Fortunatum.

§. 1.

Ex Gregorio quidem in lib. 5. hiſtoriæ Francorum cap. 11. hæc prolixè recenſet: *Quia ſemper Deus noſter Sacerdotes ſuos glorificare dignatur, quid Aruerno de Iudæis hoc anno contigerit pandam. Cùm eoſdem plerumque beatus Auitus Epiſcopus commoneret vt relicto velamine legis Moſaicæ ſpiritualiter lecta intelligerent, & Chriſtum filium viuentis Dei propheticâ & legali authoritate promiſſum corde puriſſimo in ſacris literis contemplarentur, manebat in pectoribus eorum iam non dicam velamen illud quo facies Moyſi obumbrabatur ſed paries. Sacerdote quippe orante vt conuerſi ad Dominum velamen ab eis litera rumperetur, quidam ex eis ad ſanctum Paſcha*

vt baptizaretur expetiit, renatuſque Deo per baptiſmi Sacramentum cum albatis reliquis in albis & ipſe procedit. Ingredientibus autem populis portam ciuitatis, vnus Iudæorum ſuper caput conuerſi Iudæi oleum fœtidum diabolo inſtigante diffudit: Quod cùm cunctus adhærens populus voluiſſet eum vrgere lapidibus, Pontifex vt fieret non permiſit. Die autem beato quo Dominus ad cælos poſt redemptum hominem aſcendit glorioſus, cùm Sacerdos de Eccleſia ad Baſilicam pſallendo procederet, irruit ſuper Synagogam Iudæorum multitudo ſequentium, deſtruenſque à fundamentis campi planitiæ locus aſſimilatur. Aliâ autem die Sacerdos eis Legatos mittit dicens: Vi ego vos confiteri Dei filium non impello, ſed tamen prædico & ſalem ſcientiæ veſtris pectoribus trado: Paſtor ſum enim dominicis ouibus ſuperpoſitus, & de vobis verus ille Paſtor qui pro nobis paſſus eſt dixit ſe habere alias oues quæ non ſunt ex ouili ſuo, quas eum oporteat adducere vt fiat vnus grex & vnus Paſtor: Ideoque ſi vultis credere vt ego, eſtote vnus grex cuſtode me poſito: Sin verò aliud, abſcedite à loco. Illi autem diu æſtuantes atque dubitantes tertiâ

die (vt credo, obtentu Pontificis). conjuncti in vnum ad eum mandata remittunt dicentes: Credimus Ieſum filium Dei viui nobis Prophetarum vocibus repromiſſum: Et ideo petimus vt abluamur baptiſmo ne in hoc delicto permaneamus. Gauiſus autem nuntio Pontifex nocte ſanctâ Pentecoſtes vigiliis celebratis ad baptiſterium foras muraneum egreſſus eſt; ibique omnis multitudo coram eo proſtrata baptiſmum flagitauit. Fuerunt autem qui baptizati ſunt, ampliùs quingenti. Ecce tibi vno in loco, vt Launoïus ex his tam multis infert, duo illa tempora (Paſcha & Pentecoſte) quæ baptiſmatis celebritati dedicantur.

Deinde lib. 6. hiſt. cap. 27. *Chilpericus Rex pridie quàm Paſcha celebraretur, Pariſius abiit; & vt maledicto quod in pactione ſua & fratrum ſuorum conſcriptum erat vt nullus eorum Pariſius ſine alterius voluntate ingrederetur carere poſſet, reliquiis multorum Sanctorum præcedentibus vrbem ingreſſus eſt; dieſque Paſchæ cum multa jucunditate tenuit, filiumque ſuum baptiſmo tradidit: Quem Ragnomodus ipſius vrbis Sacerdos de lauacro ſancto ſuſcepit, ipſumque Theodori-*

cum vocitari præcepit. Hæc pro Paſchate, inquit iterum Launoïus : Tum addit quæ ſequuntur pro Pentecoſte.

Idem etiam Gregorius lib. 8. hiſt. cap. 4. *Vnum vos deprecor, Sacerdotes Domini, vt pro filio meo Childeberto Domini gratiam exoretis : Quia ſi hunc Deus his Galliis concedere dignabitur, fortaſſis ſpes erit de eodem gentem noſtram quæ valde exinanita eſt poſſe conſurgere : Quod fieri iuxta eius miſericordiam non diffido ; eò quòd tale fuerit pueri natiuitatis præſagium. Nam in die ſancto Paſchæ, ſtante fratre meo Sigeberto in Eccleſia, præcedente Diacono cum ſancto Euangeliorum libro nuntius Regi aduenit, vnaque vox fuit pronuntiantis lectionem Euangelicam ac nuntij dicentis,* Filius natus eſt tibi : *Vnde factum eſt vt omnis populus in vtraque annuntiatione proclamaret pariter* Gloria Deo omnipotenti : *Sed baptiſmum in die ſancto Pentecoſtes accepit ; & Rex nihilominus in die ſancto dominicæ natiuitatis eſt eleuatus.*

Poſtremò idem Gregorius in lib. 10. hiſt. cap. 15. vbi quædam Pictauienſis Monaſterij ſeditio deſcribitur:

Cùm Epiſcopus (inquit) *hæc omnia grauiter ferret, nec valeret ſeditionem diabolicam mitigare, miſit ad Chrodieldem dicens : Relinque Abbatiſſam vt in his diebus in carcere non retineatur: Alioqui non celebrabo Paſcha Domini ; neque baptiſmum in hac vrbe vllus Catechumenus obtinebit :* En obſeruatum Paſchatis baptiſmum , addit iterum Launoïus, quaſi & illud ipſum quod intendimus vnanimi nobiſcum inſtituto concludat.

§. 2.

Pergit ex Fortunato pro baptiſmo Paſchali hæc referre quæ in Carminum lib. 3. Metro. 3. habet :

Rex ſacer, ecce tui radiat pars magna triumphi,
Cùm puras animas ſacra lauacra beant.
Candidus egreditur nitidis exercitus vndis
Atque vetus vitium purgat in amne nouo.
Fulgentes animas veſtis quoque candida ſignat,
Et grege de niueo gaudia Paſtor habet.

Et pro baptiſmo Pentecoſtes ex libro 5. Metro 4. vbi Iudæos ab Epiſ-

copo Aruernenſi ſancto Auito baptizatos ita deſcribit:

Ecce dies aderat quo Spiritus almus ab alto
Miſſus Apoſtolicis fluxit in ora viris.
Res ſacra ruricolas, vrbanos excitat omnes,
Certatimque aditus ad pia feſta ferunt.
Abluitur Iudæus odor baptiſmate diuo:
Et noua progenies reddita fertur aquis.

Hactenus illum dicas idem ſentire quod nos, nec in alium finem celeberrimos illos vt appellat Scriptores duos produxiſſe quàm vt aſſertionem noſtram tam authenticis vtriuſque teſtimoniis confirmaret. Sed ſequentia intuere, in quibus quaſi Chamæleontis formam pro vario afflatu mutabilem ac verſatilem contempleris. *Nunc agendum eſt* (inquit) *de Chriſti & Ioannis Natali die quem Eccleſia Gallicana Paſchatis & Pentecoſtes feſto* (pro baptiſmo ſolenniori) *adjunxit:* Sed quàm verè hoc dicat explorandum.

CAPVT III.

Fruſtraneæ objectiones contra prædictum vſum in Eccleſia Gallicana receptum, & exceptis extraordinariis caſibus obſeruatum, ex Gregorio Turonenſi ac ex Auito Viennenſi deſumpta; deluſæque vel fraudulenter prætermiſſæ peremptoriæ in oppoſitum authoritates Fredegarij, Hincmari, Flodoardi, circa baptiſmum Clodouæi.

ET primò quidem quid hoc ſibi vult quod in titulo præfert, *primam Eccleſiæ Gallicanæ traditionem Paſchati & Pentecoſte pro baptiſmo ſolenniori adminiſtrando Chriſti & Ioannis Baptiſtæ natalem diem aliquando* (vt modificat) *adjunxiſſe?* cùm ſolum Paſcha & Pentecoſten Traditionem primam baptiſmo deputaſſe titulo præcedenti expreſsè præmiſerit! Nam ſi diuerſa Traditio, altera ex duabus non fuit prima: Si eadem, quomodo ſolum

Paſcha & Pentecoſten ex vna parte dixit, alios verò dies aliunde adjunxit? Aut qualiſnam hæc Traditio quæ vniformis non fuerit? Sed vniformem non fuiſſe (ordinario ſaltem vſu) Criticus nunquam vniformis illuſoriè putat: Vt & illuſorium illud quòd ad vſum reuocet ea quæ aliquando tantùm facta eſſe indicat, ſi facta ſunt; aut quòd vetuſtiorem Traditionem aliquid adjunxiſſe poſteriori ſignificet; cùm poſterior eo caſu (ſi vera eſſet) vetuſtiori detraxiſſe aliquid videretur.

Vt autem ſibi probare videatur quòd Eccleſia Gallicana Paſchati & Pentecoſte dies prædictos pro baptiſmo ſolenniori adjunxerit, duos authores Epiſcopos, Auitum Viennenſem & Gregorium Turonenſem oſtentat; ac ex primo illorum vnum teſtimonium, ex altero duo teſtimonia ſuppeditari ſibi dicit.

§. I.

Primum deſumit ex Auito. Auitus (inquit) pro baptiſmo Natalis diei Domini ſpondet in epiſtola 41. ad Clodouæum Regem, ſub his verbis:

audeat quidem Græcia habere ſe Princi-
:m legis noſtræ; ſed non iam quæ tanti
ıuneris dono ſola mereatur illuſtrari; quòd
on deſit & orbi reliquo claritas ſua. Si-
uidem & Occiduis partibus in Rege non
ouo noui jubaris lumen effulgurat: Cuius
ılendorem congruè Redemptoris noſtri
Natiuitas inchoauit, vt conſequenter eo
ie ad ſalutem regenerari ex vnda vos
ateat quo natum redemptioni ſuæ cæli
Dominum mundus accepit: Igitur qui
eleber eſt Natalis Domini, ſit & veſtri;
uo ſcilicet vos Chriſto, quo Chriſtus ortus
ſt mundo. Quid iam de ipſa glorioſiſſimæ
egenerationis veſtræ ſolennitate dicatur?
Cuius miniſteriis etſi corporaliter non ac-
eſſi, gaudiorum tamen communione non
leſui; quandoquidem hoc quoque regio-
ıibus noſtris diuina pietas gratulationis
ıdjecerit, vt ante baptiſmum veſtrum ad
ıos ſublimiſſimæ humilitatis nuntius per-
ueniret: Vnde nos poſt hanc expectatio-
nem iam ſecuros veſtri ſacra nox reperit:
Conferebamus namque nobiſcumq; tracta-
bamus quale eſſet illud cùm adunatorum
numerus Pontificum manu ſancti ambi-
tione ſeruitij membra Regia vndis vita-
libus confoueret. Hinc Launoïus infert

Paſcha & Pentecoſten ex vna parte dixit, alios verò dies aliunde adjunxit? Aut qualiſnam hæc Traditio quæ vniformis non fuerit? Sed vniformem non fuiſſe (ordinario ſaltem vſu) Criticus nunquam vniformis illuſoriè putat: Vt & illuſorium illud quòd ad vſum reuocet ea quæ aliquando tantùm facta eſſe indicat, ſi facta ſunt; aut quòd vetuſtiorem Traditionem aliquid adjunxiſſe poſteriori ſignificet; cùm poſterior eo caſu (ſi vera eſſet) vetuſtiori detraxiſſe aliquid videretur.

Vt autem ſibi probare videatur quòd Eccleſia Gallicana Paſchati & Pentecoſte dies prædictos pro baptiſmo ſolenniori adjunxerit, duos authores Epiſcopos, Auitum Viennenſem & Gregorium Turonenſem oſtentat; ac ex primo illorum vnum teſtimonium, ex altero duo teſtimonia ſuppeditari ſibi dicit.

§. I.

Primum deſumit ex Auito. Auitus (inquit) pro baptiſmo Natalis diei Domini ſpondet in epiſtola 41. ad Clodouæum Regem, ſub his verbis:

Gaudeat quidem Græcia habere ſe Principem legis noſtræ; ſed non iam quæ tanti muneris dono ſola mereatur illuſtrari; quòd non deſit & orbi reliquo claritas ſua. Siquidem & Occiduis partibus in Rege non nouo noui iubaris lumen effulgurat: Cuius ſplendorem congruè Redemptoris noſtri Natiuitas inchoauit, vt conſequenter eo die ad ſalutem regenerari ex vnda vos pateat quo natum redemptioni ſuæ cæli Dominum mundus accepit: Igitur qui celeber eſt Natalis Domini, ſit & veſtri; quo ſcilicet vos Chriſto, quo Chriſtus ortus eſt mundo. Quid iam de ipſa glorioſiſſimæ regenerationis veſtræ ſolennitate dicatur? Cuius miniſteriis etſi corporaliter non acceſſi, gaudiorum tamen communione non defui; quandoquidem hoc quoque regionibus noſtris diuina pietas gratulationis adjecerit, vt ante baptiſmum veſtrum ad nos ſublimiſſimæ humilitatis nuntius perueniret: Vnde nos poſt hanc expectationem iam ſecuros veſtri ſacra nox reperit: Conferebamus namque nobiſcumq; tractabamus quale eſſet illud cùm adunatorum numerus Pontificum manu ſancti ambitione ſeruitij membra Regia vndis vitalibus confoueret. Hinc Launoïus infert

quòd Auitus orationem ſuam iis adornat conditionibus & antitheſibus quæ quin baptizatus fuerit in natali die Domini Clodouæus addubitari non ſinunt : Vnde inſultabundus addit : *Fuit tamen qui hunc Clodouæi baptiſmatis diem interpretatus ſit Paſcha : Sed quia pari jure ſeu potiùs audaciâ Pentecoſten interpretari potuit, nihil admodum nos commouit.*

§. 2.

Sed & Corollario 8. ad explodendam Fredegarij Scholaſtici narrationem qui in Paſcha Domini baptizatum fuiſſe Clodouæum aſſerit ſeu *baptiſmi gratiâ conſecratum* vel baptiſmi gratiam conſequutum, ſicut alij legunt, decretoriè pronuntiat quòd præ Auito audiendus Fredegarius non eſt ; quia ducentis & ampliùs poſt Clodouæi baptiſmum annis Pipino Rege ſcripſit; Auitus verò quod oculis vſurpare potuit ſcriptis commendauit; deinde quia Fredegarius dicit clàm baptizatum Clodouæum, quo nihil eſt falſius aut magis Gregorio Turonenſi contrarium, qui Remigium quidem clàm accerſitum ad

Clodouæum inſtituendum, ſed publicè à Remigio tinctum narrat; ac tandem, quia errat cùm ait ſex millia hominum ſimul cum Clodouæo baptiſmum accepiſſe, tametſi Gregorius cuius hiſtoriam contrahit, *baptizatos ampliùs tria millia* tantùm dicat; indeque infert quòd *in adjunctis rei vix errare potuit grauiùs:* Ac ſubinde paulò pòſt de Hincmaro Rhemenſi ſupradictum baptiſmum ad Sabbathum Paſchatis referente ſubjungit quòd *in ea quam reconcinnauit Remigij vita ſeipſum & alios decepit qui veterem Gallicanæ Eccleſiæ traditionem ignorarunt:* Et ſiciterum contra illum decernit cum inſultu. *Hincmarus autem cùm annis trecentis quinquaginta ſit Auito junior, Hincmarum à ferendo contra noſtrum Auitum teſtimonio quis non prohiberet? Profectò deliberare cui credas, Auito-ne ſcribenti Clodouæum eſſe in Natali Chriſti baptizatum, an Hincmaro dicenti Clodouæum eſſe in Paſchate baptizatum, res eſſet plena temeritatis & ſtultitiæ.*

Non timet ipſe ne iuſtiùs temeritatis & ſtultitiæ arguatur; qui rethoricæ amplificationi hominis epiſtolam gra-

tulatoriam de longinquo ſcribentis nec apertè ac perſpicuè rem dicentis (vt paulò infrà expendemus) tutiùs ac certiùs quàm hiſtoricæ narrationi aliorum id quod contigit apud ſuos expreſſiſſimè referentium credi malit? Quid enim refert quanto poſt Clodouæum baptizatum annorum interuallo ſcripſerint, ſi hoc ipſum nihilominus quod ſcripſerunt ex Eccleſiæ ſuæ vetuſtiſſimis monumentis deſumptum à ſe profitentur, quibus alia eſſe de re ad illam pertinente fideliora nulla poſſint? Quid refert quòd Auitus tempore Clodouæi vixerit aut ad illum ſcripſerit vt ſuſceptum baptiſmum gratularetur, ſi hoc nihilominus ipſe quod non viderat ſcripſit? Aut ridiculum non eſt, & eò magis Launoïanum, vt ideo potiùs ei credi debeat, quia oculis *vſurpare potuit*, quod ſe tamen teſtatur non vidiſſe, cùm abſens eſſet ac à loco baptiſmi tam remotus? Quaſi nos qui Regias nuptias vſurpare oculis potuimus quia tempore noſtro factas, nec eas tamen loco tam diſſiti vidimus, fidelius teſtimonium de ſolenni eorum apparatu poſſe redde-

dere præſumamur, quàm ſi poſt centũm annos hiſtoricus aliquis ex Archiuis illius loci vbi celebratæ ſunt vel Chartophylaciis Regiis rem deſcribat.

§. 3.

Quamuis nec illud ipſum quod ex Auiti antitheſi ſe colligere Launoïus indubitanter putat, ſic intelligi neceſſe eſt vt in Natali Chriſti baptizatus reipsà & de facto intelligatur Clodouæus; aut ad baptiſmum actualem qui regeneratio perfecta eſt, Auiti antitheſis & alluſio referatur, ſed ad conuerſionis initium quod initium quoque regenerationis fuit; ac catenus *inchoatam regenerationem* Auitus vocet, quia Chriſtianiſmum tunc in voto concepit Clodouæus; quaſi poſtea conſummandam ſuo tempore ac in Paſchate conſummatam, quia baptiſmum tunc reipsâ ſuſcepit; quantumcunque Paſchatis mentionem expreſſam non faciat Auitus, vt in ſola Natiuitatis alluſione permaneat, quia nec Paſcha quod commune omnium regenerationi erat ſpecialem poterat Clodouæo prærogatiuam contuliſſe

quam ſic Auitus commendaret. An Ambroſius in obitu Valentiniani qui ſine actuali baptiſmo deceſſerat, ſic eleganter in illius fauorem potuerit dicere ad eorum animos leniendos qui eum baptiſmatis non accepiſſe ſacramenta dolebant: *Quid aliud in nobis niſi petitio eſt, niſi voluntas? Atqui etiam diu hoc voti habuit vt initiaretur: Non habet ergo gratiam quam deſiderauit? Non habet quam popoſcit? Certè, quia popoſcit, accepit* &c. Nec ſimiliter *inchoatam regenerationem* appellare Auitus potuerit baptiſmum iam animo à Clodouæo deſtinatum cùm primùm conuerſus eſt, quantumuis nondum actu ſuſceptum? Aut referre in antecessum ad Natalem Domini quod in Paſcha factum eſt quidem, ſed originem ex Natali accepit, cùm iam ex eo die ſe ad baptiſmum deuouiſſet? Cur enim illud ipſum non inſinuent ſaltem Auiti verba? quibus non ait eo die *regeneratum ad ſalutem ex vnda* Clodouæum, ſed quòd *regeneratus appareat*; quia ex quo baptiſmum tantâ deuotione anteiuit & ſibi dari appetiuit, perinde poteſt eſſe ac ſi regene-

ratus iam tum aliquo modo videatur; nec oportuit actualis regenerationis verum diem exprimi, quia ſatis ex more ſupponitur? Quamuis etiam non obſcurè ac implicitè ſaltem indicetur, cùm poſt alluſionem ad Natalem ſubjungit ſeparatim Auitus: *Quid iam de ipſa glorioſiſſimæ regenerationis veſtræ ſolennitate dicam?* Quaſi aliam à Natali ſolennitatem inſinuans qua perfectum ſit actu quod in alia priùs voto fuerat inchoatum. Cur Oratorem gratulabundum agens, non hiſtoricum relatorem, in ea voce Rhetorico ſchemate non luſerit, vt eo die Clodouæum diceret incepiſſe renaſci ad ſalutem quo natus erat Chriſtus cuius iam cultum ambiebat?

§. 4.

An ita malè tamen ignotus ille quem Launoïus nominare dedignatus eſt, Paſcha Natalem intellexit, vt audaciam ei deprauator omnium paſſim audaciſſimus exprobraret? cui non immeritò poſſit ipſe non audaciam ſolùm tantam vbique ſe prodentem, ſed & hebetudinem retaliari ſe hîc maximè obtendentem, quòd Pen-

tecoſten ſimiliter per ironiam tam frigidam dixerit intelligi ab illo potuiſſe: Quaſi aliquo ſenſu Pentecoſte Natalis Chriſti dici poſſit quando Spiritusſanctus in Apoſtolos delapſus eſt, ſicut & Paſcha quando Chriſtus in immortalem vitam reſurrexit. Legat in Chryſologo quod ſerm. 74. de ſepulcro ipſius Chriſti ait : *Vteri noua forma mortuum concipit, parit viuum :* Legat quod addit in ſermone ſequenti: *Venit* (ſub ſymbolo Mariæ matris) *ad ſepulcrum; venit ad reſurrectionis vterum; venit ad vitæ partum; vt iterum Chriſtus ex ſepulcro naſceretur qui carnis fuerat generatus ex ventre :* Legat in ſancto Confeſſore Maximo ex homilia 5. de Reſurrectione Chriſti, quòd *rediuiuâ carnis aſſumptione refloruit;* & quòd *floruit eius caro cùm primùm de Mariæ Virginis illibatâ vuluâ proceſſit; refloruit, cùm de ſepulcro reſurrectionis gloriâ germinauit :* Perinde ac ſi Chriſtum in reſurrectione renaſcentem alluſione iſtâ ſignificet : Legat in Beda ſuper Pſalmos cùm 21. Pſalmi titulum commentatur *pro matutina ſuſceptione* prænotatum, reſurrectionem Chriſti ſuſ-

ceptionem dici matutinam quia tunc immortalem ſuſcepit carnem quam in conceptione mortalem ſuſceperat; & ſimiliter in Auguſtino, ex quo mutuatus eſt Beda: Intelligatque ſuſceptione carnis immortalis renaſcentiam, ſicut ſuſceptione carnis corruptibilis & mortalis natiuitatem primam deſignari: Legat in ſancto Gregorio Nyſſæno reſurrectionem Chriſti explicante quòd reſurgente illo *apparuit alia regeneratio, alia vita, nouus alius vitæ modus*; vt & Orat. 2. in eandem quòd *ſi Natalis dies hominis Regis carcerem aperit*, multò magis reſurrectio Chriſti; quaſi proinde illam quendam Chriſti Natalem eſſe velit: Legat in Auguſtino ipſo quod ſerm. 2. in Vigilia Paſchæ ſic expreſsè habetur: *Inter vuluam & ſepulturam ſimilitudo non parua: Sicut enim Dominus de matris vulua viuus exiuit, ſic & de Ioſeph ſepultura viuus ſurrexit: Et ſicut de vtero ad prædicandum tunc natus eſt, ſic ad euangelizandum nunc renatus eſt de ſepulcro.* Legat-ne ſimilia de Pentecoſte aut per viſum legere poſſit, vt in Spiritus ſancti deſcenſione ac illapſu

Natalem Chriſti quærat; aut audaciam parem putet intelligere de Paſchate ac explicare de Pentecoſte quod indicat Auitus de Natali? Nam & alluſionem juuat quòd in reſurrectione regeneratur ad immortalem vitam Chriſtus, & ad ſpiritualem quæ immortalis præludium ſit regeneramur in baptiſmo: Nec ei obeſt quòd Natalis intelligatur per quem ortus eſt Chriſtus mundo; quia & ortus mundo dici poteſt, quando in cœlo ei & in terra poteſtas ex reſurrectionis interuentu data palàm eſt ac illius gloria toto inde terrarum orbe propagata.

§. 5.

Sed eſto de Natali propriè dicto intelligendus præſumatur Auitus, cur putetur meliùs rem nouiſſe in Ciuitate Viennenſi quæ peracta eſt in Rhemenſi, quàm qui viderunt eam Rhemis & in Tabularia retulerunt? atque adeo quàm qui eam poſt quantumcunque tempus ex illis ipſis Tabulariis eruerunt? Cur ergo eos abſque temeritatis & ſtultitiæ Launoïanæ metu anteferre Auito in præſenti teſtimo-

nio dubitemus? Nam quòd grauiùs in adjunctis errare Fredegarius non potuerit, Launoïanum phantaſma eſt; quia vel ea non ſic dicit vt Launoïus fingit; vel ſic dicit vt reprehendi niſi à Launoïo in tranſuerſum omnia detorquente non poſſint. Primò enim an Clodouæum dicat clàm baptizatum, quem baptizatum cum ſex millibus dicit? Non aliud igitur dicit quàm Gregorius Turonenſis (etſi ſubobſcuriùs quia breuiùs) *clàm adnitente cum ſancto Remigio Reginâ Clodouæum inſtructum eſſe ad baptiſmum*, ſed palàm tamen baptizatum. Secundò quòd ſex illa millia baptizata cum Clodouæo dicat quis tam grauis & tantus error, vt Launoïo qui totus erroribus vndique ſcatet nullus grauior videatur? Aut non illuſio iſta eſt? quam & illuſoriè probat, quia *tria millia & ampliùs* à Gregorio Turonenſi dicuntur eſſe cum Clodouæo baptizata; Fredegarius autem hiſtoriam eius contraxit: Mirum planè, vt hiſtoriam Gregorij dumtaxat contraxerit, & plura tamen Gregorio millia ſenſu tam contrario expreſſerit Fredegarius! Num ſince-

riùs dici poteſt quòd ex vetuſtiſſimâ Remigij Legendâ ſiue Vitâ numerum illum collegerit? vbi tria millia quidem ſed *exceptis mulieribus & paruulis* (à Gregorio Turonenſi omiſſis) exprimuntur: Ad cuius tria & ampliùs millia ſi paruulos & mulieres adjunxeris, minus-ne poſſis quàm ſex millia reperire? Præterquam quòd facile fuit vt in tanta multitudine certus numerus pro incerto, ſicut vſitatum eſt, poneretur.

§. 6.

Iam verò quòd Hincmarus in Remigij Vitâ reconcinnandâ Fredegarium ſequens deceperit ſeipſum & alios qui Eccleſiæ Gallicanæ traditionem ignorarent, quid ſimilius delirio? Veterem illam Gallicanam Traditionem ex Gregorio ſuo Turonenſi priùs oſtendit eſſe vt in Paſcha & Pentecoſte tantùm ſolennior baptiſmus conferretur: Hincmarus tamen eum in Paſcha Clodouæo collatum dicens ex veteris Traditionis ignorantia deceptus eſt & in eandem ſecum deceptionem alios traxit! O deceptorem ſui & aliorum paſſim Launoïum! Sed

quàm obtuſum deceptorem! ac eo magis quidem, ſi expendamus quæ de Fredegario rurſum pro coronide tam inſigni concludit: Scilicet quòd *cùm vidit Fredegarius Gregorium non indicare tempus quo Rex baptizatus fuerat, ex receptiori ætatis ſuæ vſu Paſcha ſortitus eſt.* Quid eſt hoc? Ex veteri traditione Gallicanâ baptiſmus in Natali Domini datus tam audacter à Launoïo affirmatur: Et Gregorius tamen Turonenſis qui perpetuus ei ferè author eſt, Clodouæo tunc datum non expreſſit; vt ſaltem ſic probaret adjunctum eſſe tempus illud anteriori Traditioni quam ad Paſcha & Pentecoſten (vt præmiſimus) abſque vllo additamento alterius temporis referebat! Quid hoc eſt quoque quòd Natalis adjunctus temporibus prædictis ex veteri traditione ſupponitur, & ex receptiori tàmen ſui temporis longè poſterioris vſu ſibi Paſcha putauit ſortiendum Fredegarius quod legitimo Clodouæi baptiſmo conſignaret, ſi veritati repugnabat; & niſi verè tempus illud ex monumentis quæ diximus vetuſtiſſimis collegiſſet?

§. 7.

Accedat ad Hincmarum & ad Fredegarium Flodoardus tomo 16. recentioris Bibliothecæ Patrum tam inſigniter commendatus, qui ex Rhemenſis Eccleſiæ cuius fuerat Canonicus & ex Monaſterij Remigiani cuius Monachus tandem ac deinde Abbas fuit Archiuis hiſtoriam concinnans à ſe ſcriptam, totum id quod nunc ad baptiſmum pertinet Clodouæi ſic expreſſiùs quàm prædicti deſcribit lib. 1. cap. 13. circa medium : *Reuertitur Victor in ſua Clodouæus, gaudium referens magnum Reginæ quòd ad inuocationem Chriſti nominis victoriam meruit obtinere. Tunc Regina beatum Remigium vocat, deprecans vt Regi viam ſalutis oſtendat: Quem ſanctus Sacerdos doctrinâ vitæ ſalutaris informans ad baptiſmi commonet venire ſacramenta:* Tum paulò infrà : *Et quia Paſchalis ſolennitas imminebat, indicit ei ieiunium juxta morem fidelium. Die verò paſſionis Dominicæ, pridie ſcilicet antequam baptiſmi gratiam percepturus eſſet, poſt hymnos preceſque nocturnas Præſul Regium cubile petiit vt abſoluta ſæcularibus curis Rege*

liberiùs ei committere ſacri valeret myſteria verbi &c. Quid Launoïus ad hæc? vt Hiſtorico ex antiquis illius loci vbi peracta res eſt monumentis eam expreſsè ſine ambage vlla referenti (quem propterea fortè referre cauit) ſimiliter inſultet; aut vt ei Auitum de re quam audierat ſolùm oratorio ſtylo figuratè loquentem anteponat; aut non anteponentes tanquam *temeritatis ac ſtultitiæ plenos* notet. Vtramque ſibi multò iuſtiùs plenè ac planè ſeruet; cuius & nouum ac lepidum ſequenti Paragrapho experimentum exhibebit.

CAPVT IV.

Quàm ineptè Adonis Viennenſis teſtimonio aſſertiuo & firmo falſum ex Gregorio Turonenſi rumorem ac dubiè iactatum, Launoïus opponat, & quàm ibi ſeipſum ridiculè omnino circumuoluat circa Ebredunenſe miraculum in baptiſmali fonte annuatim ſolitum renouari.

VIDISTI, Lector, vt Eccleſiæ Gallicanæ veterem in ſolenni Baptiſmo conferendo traditionem ad Paſchatis & Pentecoſtes tempus ex Gregorio Turonenſi & Fortunato determinatam indicarit: Vidiſti vt prædicto baptiſmo Clodouæi nullum determinatum tempus conſignarit, ſed baptizatum illum indefinitè deſignarit; ex quo non vanum argumentum deſumat prudens quiſque quòd baptizatum intellexerit eo ipſo tempore quod alibi dixerat eſſe in Eccleſia vſitatum: Vide nunc à priori tramite di-

uagantem, ac aliorſum cæco impetu ſe verſantem, verſatiſſimum verè virum! ſi eo illum ſenſu adulatores eius nuncupaſſent. *Ex priſca* (inquit) *Galliæ conſuetudine in Natali die Domini tinctus eſt Clodouæus, quemadmodum docet nos Gregorius Turonenſis in libri de gloria Confeſſorum capite 69.* Diceres ex hac loquutione ſic intertexta Clodouæi baptiſmum eo loco deſcriptum eſſe, velut in Natali Domini celebratum: Diceres priſcam ſaltem Galliæ in baptiſmo ſolenni conſuetudinem ibi traditam & tractatam: Diceres Gregorium de re vtraque illa ex profeſſo ac dogmaticè differentem vel ſaltem circumſtantias eius explicantem: Sed iſtum qualemcunque loquendi modum non moramur. Id expendamus tantùm quid eo loco Gregorius dixerit ex quo priſca Galliæ in baptiſmo conſuetudo tam confidenter concludatur, & an reipſa id ſe habeat ſicut dixit. En quod ex Gregorio refert: *Habet Ebredunenſis vrbs Patronum proprium Marcellinum Antiſtitem, per quem dum adhuc in corpore moraretur multa Chriſtus miracula ope-*

ratus eſt. Hic enim feciſſe dicitur lauacrum ad baptizandum in quo in Natali die Domini & dominicæ Cœnæ aqua dicitur diuinitus exoriri : De quo etiam ad aliud lauacrum in quo priſca conſuetudo baptizari inſtituit aqua defertur. Hinc ſubjungit nimirum Launoïus quòd *hæc apud Ebredunenſes baptizandi conſuetudo in Natali die Domini iam inualuerat à tempore Conſtantini quo imperante Marcellinus Ebredunenſem Eccleſiam inſtituit :* Statimque addit : *Legitimum porrò fuiſſe baptiſmi tempus docet juge miraculum , cuius prædem ſiſtimus Gregorium qui rem ipſam videre potuit exploratamque habere :* Vnde infert : *Cùm ergo baptiſmi gratiam conſequutus eſt poſtea Clodouæus, Natalis dies Domini ex majorum traditione jus baptiſmatis dudum acquiſierat.*

§. 1.

Sed quoniam Adonis Viennenſis Narrationi hæc Turonenſis contradicit omnino, ſic de illa Corollario decimo pronuntiat : *Quæ Gregorius Turonenſis tradit de Chriſti die Natali quo Ebreduni baptiſmus ſolennior conferebatur, veritatis ſuæ jacturam apud poſteros*

fecerunt; atque in primis apud Adonem vel alium qui Adonis Martyrologium ſic interpolauit 12. *Calendas Maij: In Galliis ciuitate Ebredunenſi ſancti Marcellini primi eiuſdem vrbis Epiſcopi & Confeſſoris, qui diuino juſſu cum ſanctis ſociis Vincentio & Domnino ex Africa veniens maximam partem Alpium maritimarum verbo & ſignis admirandis quibus vſque hodie refulget ad fidem Chriſti conuertit: Ita vt baptiſterium quod ipſe apud præfatam vrbem condidit, in ſacro-ſanctis Paſchalis feſti vigiliis diuinâ virtute ſingulis annis ſubitis aquis inundetur.* Hanc enimuerò narrationem ſic fuiſſe interpolatam ſubdit, quia interpolator cùm deſitum ſuo tempore in Chriſti Natalitiis baptizandi ritum animaduerteret, Chriſti Natalitia in Paſchatis diem conuertit: Ac deinde vir eccleſiaſticæ integritatis prorſus amans ac deprauati eius antiqui ritûs quàm qui maximè oſor hæc epilogi loco addit: *Sic aliquando quæ ad eccleſiaſticam diſciplinam pertinent, præpoſterâ quorundam operâ & ſtudio mutantur; vnde poſtea contentioſum funem trahendi naſcitur occaſio.*

Eſt hîc omnino quod rideas de nugamentis eius, Lector; niſi potiùs hebetudini miſerendum vel indignandum fraudulentiæ putes. Martyrologium Gallicanum edidit pridem Illuſtriſſimus Epiſcopus Tullenſis qui tunc Officialis & Vicarius Generalis Pariſienſis erat, vir ſupra famam eruditus & accuratus inter primos Antiquitatis ac rituum ſacrorum explorator: In eo Martyrologio ſupradictam Adonis Viennenſis narrationem interſerit, admittit, ſuam facit: Integrum opus illud ſic Launoïus in proœmio eius datâ ſyngraphâ probat non tantùm ſed impensè commendat: *Martyrologium Gallicanum non tam vidimus quàm mirati ſumus*: Et infrà: *Ecquid porrò vſpiam eſt in rerum natura diues ac pretioſum, ſiue in auro, ſiue in argento, ſiue in gemmis numeretur, quod operi tanto componatur? Omnia ſunt infra quamlibet ſimilitudinem poſita: Nemo ſit homo qui vel tantiſper addubitet*: Iterumque mox: *Faxit Deus immortalis vt hic veluti liber vitæ diu deſideratus prodeat in lucem & ἀδηγὸν viuentium.* Quo id nomine appellemus? An riſu

dignum ; vt abuſuum reformator & Cenſor ſic nugetur ! An miſeratione ? vt Criticorum lumen ſic hebeſcat! An indignatione ? vt Eccleſiaſticæ diſciplinæ interpolator perpetuus interpolatam conqueratur ! An admiratione ? vt approbator tam ſincerus veluti præpoſterum nnnc rejiciat quod antea veluti auro, argento, gemmis, & quibuſcunque diuitiis pretioſius cum elogiis tam inſignibus commendauit, aut à nemine qui ſit homo rejici poſſe vel in dubium reuocari tantiſper aſſeruit ! & quod vt viuentium directioni eſſet prodire in lucem tam ardenter optauit. Si quid effutiiſſem tale, quàm jocosè Magiſter tricaretur quòd in beſtiam degeneraſſet Frater, quòd hominis naturam exuiſſet, quòd pecoribus annumerandus eſſet, quòd in piſtrinum, vt iam alibi dixit, amandandus ! Reflectat in ſe concluſionem ſuam, & ſic in forma ponat argumentum: Adonis Viennenſis narrationem in Martyrologio Gallicano ab eruditiſſimo viro recenſitam nemo vel rejicere vel in dubium reuocare tantiſper poſſit qui ſit homo : Atqui Ma-

giſter Launoïus non ſolùm addubitat tantiſper an ſit vera, ſed eam velut falſam & præpoſteram vehementer explodit quantum poteſt : Ergo Magiſter Launoïus vtcunque priùs fuerit homo, non eſt ampliùs homo. Syllogiſmus eſt in *Ferio* regulariter ac directè concludens : Major propoſitio ex Magiſtro qui eam propoſuit pro theſi cùm prædicti operis approbatorem egit: Minor eſt ad Magiſtrum qui eius hypotheſim vſurpat & aſſumit vt Gregorij Turonenſis authoritatem abdicato Adone ſtabiliat : Quid niſi ex Magiſtri præmiſſis concluſio ſequatur manifeſta ?

§. 2.

Sed ſic vrgere illum nolim, tametſi mihi dubium non eſt quin me ſimili datâ occaſione ſic vrgeret. Vt cum homine ago, ac expendo dumtaxat quàm humana ratiocinatio illa ſit qua Gregorij Turonenſis authoritatem ſtabilire conatur, quàm ſecurè hunc ſibi prædem ſuæ aſſertionis conſtituat, quam ſibi fidem tota hæc authoritas poſſit ipſo verborum nexu vendicare. Inprimis quale illud quòd Gregorium

Turonenſem prædem aſciſcat ſibi quia potuit rem videre, nec exquirendum putet an viderit! Sint ergo prædes pro re quauis & in illius teſtes peremptorios aduocentur quicunque illam videre potuerunt; nec exigatur vt affirment ſe de facto vidiſſe, ſed hoc ſolum abundè ſufficiat ſi præſumantur ſaltem eam videre potuiſſe, quia oculos habent; quantocunque terrarum interuallo à ſe remotam non viderint: At Gregorius Turonenſis dicit-ne ſe vidiſſe? *Dicitur* (inquit) Quod eſt non ex viſu teſtari quaſi certum, ſed ex relatu tantùm aut ex fama & in incertum loqui: Quidni enim diceret, *Vidi*, ſi reipſa vidiſſet? Aut ad certitudinem quid omnino intereſt potuiſſe videre quod non vidit? Quale iterum illud vt dicatur videre potuiſſe quod non aliter pręſumitur probatum niſi quia videre potuerit; quaſi probetur factum quia fictum; aut idem ex eodem viciſſim vel per idem eodem circuitu verborum concludatur: Quod eſt hominis caput ſuum ſicut circulum conuoluentis.

Adhuc etiam quale illud vt Gre-

gorius Turonenſis Adoni Viennenſi anteponatur quia videre potuerit! quaſi non potuerit Ado videre quod vſque ad ipſius tempora ſimiliter perſeueraſſe teſtatur narratio, quæ Launoïo cùm homo eſſet adeo pretioſa viſa eſt nec ab homine vllo in minimum dubium reuocanda. Scilicet Viennenſis in Prouinciæ ſuo confinio ne ſemel quidem videre potuerit quod ſemel tantùm annuatim in vigiliis Paſchæ referre factum poſſet aut conſuetum : Et Turonenſis in tam diſſita regione videre potuerit non ſemel tantùm ſed bis quod bis in anno factum refert! Quid porrò hîc hærere opus eſt? quando in vigiliis Paſchæ hoc fieri ſolitum incunctanter, expreſsè, dilucidè, ſine ambage vlla ſimpliciter affirmat Ado; ſed Gregorius in Natali & die Cœnę non factum eſſe ſed factum *dici* vt ex incerta fama ſignificat, cuius nec ſponſor eſſe velit! Cœterùm quid ſibi vult quòd aquam quidem ait in ſancti Marcellini nouo baptiſterio exoriri, ſed inde ad aliud lauacrum vetus deportari! Cur ſi hæc aqua exoritur propter baptiſmum in

Natali Domini conferendum, non in eodem baptiſterio vtrumque fit, vt vbi exoritur miraculosè aqua ibi baptiſmus vſitatè ac legitimè conferatur? Cur exoritur aqua illa in die Cœnę in quo baptiſmus nunquam dari dicitur? vel ſi fortè tunc exoritur vt in diem Sabbathi reſeruetur, cur non biduo ante Chriſti Natalem exoritur in quo Baptiſmus dari præſumitur? Cur in lauacrum deportari dicitur in quo priſca conſuetudo dari baptiſmum inſtituit? Quæ priſca illa conſuetudo cuius præter Gregorianam iſtam narrationem (ſi ad Chriſti Natalem referatur) nullum nec vmbraticum extat monumentum; imò repugnat iis quæ ſuperiùs ex Gregorio ipſo de baptiſmi tempore notata ſunt? Sed non alia Launoïo quàm eiuſmodi fictitia & inuoluta placent: Quod & ampliùs mox patebit.

CAPVT V.

Quàm nugaciter comminiſcatur, & quàm ineptè probet vſum baptiſmi vel in S. Ioannis feſto vel in Chriſti Natali conferendi poſt Clodouæi mortem perduraſſe.

SCILICET quòd eadem conſuetudo baptizandi poſt Clodouæum Regem perſeuerarit, vt ſolennis baptiſmus in Natali Domini conferretur, ex Gregorio rurſum ſuo probare tentat, quaſi lib. 8. hiſtoriæ cap. 9. id his verbis teſtetur. *Poſt hæc Rex Pariſius venit, & coram omnibus loqui cœpit dicens: Germanus meus Chilpericus moriens dicitur filium reliquiſſe; cuius nutritores matre deprecante petierunt vt eum de ſancto lauacro in dominici Natalis ſolennitate deberem excipere; & non venerunt: Rogauerunt deinceps vt ad ſanctum Paſcha baptizaretur; ſed nec tunc allatus eſt infans: Deprecati ſunt autem tertiò vt ad feſtiuitatem ſancti Ioannis exhiberetur; ſed nec tunc venit.* Mirum

quàm iſto Gregorij teſtimonio præ cæteris exultet Launoïus & ſupra modum ſibi de illius relatione quaſi triumphabundus gratuletur! Sed erit vt in luſum vertatur hic triumphus. *Numerat* (inquit) *Gregorius tres dies quibus baptiſma ſuo tempore celebraretur, Natalem diem Domini, Paſcha, & feſtiuitatem ſancti Ioannis Baptiſtæ: Quin etiam hos dies ita numerat, quaſi de more in Gallicana tunc recepti fuiſſent Eccleſia: Hoc autem in loco baptizandi ſuſceptor eſt Gregorius; quem quis in Gallicanæ Eccleſiæ diſciplina hoſpitem & peregrinum fuiſſe diceret?*

§. 1.

Siccine ſemper tam ſagacis Critici mens hebeſcat? aut in obliquum tam ſinceri ac recti viri conſcientia torqueatur, vt vel in iis quæ legerit intelligendis hallucinetur paſſim, vel ad nihil aliud magis contendat & conetur quàm vt alios fallat? Quàm in apertiſſima & præcipua ferè facti circumſtantia mirabiliter hallucinetur ſatis oſtendit; cùm quod ibi de Rege Guntheramno teſtatur Gregorius, in Gregorium ipſum transfert vt *bapti-*

zandi ſuſceptorem ! Quid mirum vt in illis hallucinetur quæ non adeo peruia ſunt ? Vbi vel vnus apex in tota illa Gregorij narratione quo ſignificet ex Galliæ recepto vſu factum eſſe quod ex alia qualicunque occaſione factum circumſtantiæ ipſæ pluſquam æquiualenter docent ? Vbi mentio legitimi temporis quod ab illis expectatum ſit qui baptizandum Chilperici filium diſtulerunt ? Vbi expreſſum tempus quo baptizatus demum fuerit poſtquam cauſæ dilationis ob emergentes quaſdam difficultates diſſipatæ ſunt ? Pentecoſten ſolenni conferendo baptiſmo deſtinatam ex Gregorio ipſo ſuperiùs vidimus ; ac proinde à Chilperico expectatam vt natus ei ac nuntiatus die Paſchæ filius Childebertus baptizaretur, ſicut eodem libro Gregorianæ hiſtoriæ cap. 4. præmittitur ; poſtquam alio anno in die ſancto Paſchæ Theodoricum quoque filium ſuum baptizari curaſſet. Si receptos antiquo more in Eccleſia Gallicana baptiſmi dies nunc enumerat Gregorius, cur Pentecoſten prætermittit ? Cur & prætermiſerunt illam tam vſitatam

tatam & communem qui ſancti Præcurſoris feſtiuitatem expectarunt, & eam tamen vt Natalem & Paſcha tranſcurrerunt? Patet omnino quòd aliam ob cauſam emergentium difficultatum à Paſchate vſque ad feſtum ſancti Ioannis diſtulerint, & vltrà rurſus diem alium expectarint quem Gregorius non exprimit. Annon cæterùm pro puero Regio baptizando quoſlibet dies feſtos vel ex priuatâ deuotione, vel ex priuilegio ſpeciali, vel ex peculiari neceſſitate præſtolari apprimè potuerint, quamuis non pro cæteris vſitatos nec vulgaribus communium neceſſitatum cauſis comprehenſos? An ſi ſancti Ioannis feſtiuitate prætergreſsâ ſicut prætergreſſi ſunt, diem alium qualemcunque ſolenniorem expectaſſent, aut illo die rurſus prætergreſſo vſque ad ſimilem alium diſtuliſſent; hinc ſtatim præpoſterus Criticus colligeret vtrumque illum diem ad Eccleſiæ Gallicanæ communem vſum in baptiſmo ſolenni pertinere? aut ex conſuetudine factum eſſe inferret quod per occaſionem factum ſatis oſtendit ſuppreſſio diei

Pentecoſtes, quem alioqui Gallicani Canones legitimum definierunt, vt patebit mox; & duorum dierum expreſſio (putà Natalis Chriſti & beati Ioannis Præcurſoris) quorum nulla lex, nullum qualecunque decretum, nullus Canon afferri prorſus poteſt.

§. 2.

Quid porrò iuuat exotici & extra metam ſemper excurrentis Critici vndecimum Corollarium prope finem? quòd *quantæ olim celebritatis fuerit Natalis dies ſancti Ioannis Baptiſtæ docent primùm qui cur in eo ter Sacrum olim fieret rationem reddiderunt; deinde veteres cùm Græci tum Latini Patres qui de Natiuitate Præcurſoris ſancti & de Baptiſtæ prærogatiuis aliquid nunc ſtrictâ nunc ſolutâ oratione ſcripſerunt.* Quid non ei potiùs obeſt ea pro ſe citanti ſæpè quæ vel maximè ipſi aduerſentur? Tres Miſſas in beati Ioannis Præcurſoris feſtiuitate celebrari ſolitas olim tres præſertim Authores notant; Albinus Flaccus vel Alcuinus lib. de diuinis Officiis, tit de Ioanne Baptiſta, circa 800. Chriſti annum: Tum non multò poſt circa 830. Amalarius Fortunatus

lib. 3. de Eccleſiaſticis officiis cap. 38. Ac poſt trecentos ferè annos Hugo de S. Victore lib. item 3. de officiis eccleſiaſticis cap. 6. Cauſamque vnam vniformi ſpiritu reddunt ob tres prærogatiuas vel triumphos inſignes *quibus refulſit excellenter:* Primam ſcilicet Miſſam in Vigilia quæ pro feſtiuitate computatur, quia venit vt ſuæ conuerſationis exemplo viam Domino præpararet: Secundam ipſo die feſtiuitatis quam illius diei primam vocant, quia inſignis per baptiſmi miniſterium fuit (ſiue inſigniter claruit vt loquuntur) Tertiam quæ ſubinde ſuccedit pro ſecunda eodem die, quia ex vtero matris Nazaræus permanſit; quaſi Deo ſpecialiter conſecratus: Verbum-ne ibi de baptiſmo in eius quoque feſtiuitate ad cumulum tam inſignibus prærogatiuis imponendum collato vel conferri ſolito? quamuis cùm de miniſterio baptizandi ageretur, notationi tam glorioſæ locus erat. Sermones de illius prærogatiuis plures in Auguſtino, in Ambroſio, in Maximo, in Chryſologo, & in aliis extant: Ibi natiuitati Chriſti natiuitas

illius comparatur : Ibi hoc ei ſoli ex vniuerſis hominibus priuilegium eſſe conceſſum prædicatur vt & Natalis eius dies publico ritu ſicut Natalitia Chriſti celebretur : Ibi vterque dies plenus myſterio dicitur quo natus eſt Ioannes & quo Chriſtus : Ibi à baptizati Chriſti miniſterio ac officio tam inſigni ſingulariter commendatur: Ibi cætera eius priuilegia magnificis admodum præconiis ac elogiis commendantur : Verbum-ne rurſus vllum de fictitio iſto priuilegio quo ſolennis baptiſmus in illius reuerentiam ipſo natiuitatis eius die ſignificetur celebratus ? Concludat ergo exoticus Criticus noſter, ſic directè vt ſolet : Qui ſermones tam glorioſos ac inſignes de ſancto Præcurſore Ioanne habuerunt, aut qui de tribus Miſſis in illius feſtiuitate celebrari ſolitis rationem honorificam reddiderunt, nihil omnino de baptiſmo in hac eadem tam celebri feſtiuitate conferendo tantillum indicarunt, cùm tamen eius in baptizando Chriſto miniſterium & cæteras ipſius qualeſcunque prærogatiuas tam inſigniter & magnificè commendarent :

Ergo in Eccleſia Gallicana baptiſmum eo die conferri vſus erat: Addat etiam pro confirmatione argumenti: Tres Miſſæ olim in beati Ioannis Præcurſoris feſtiuitate celebrari ſolebant, quia Officiorum Eccleſiaſticorum tres Interpretes dicunt: Ergo & in eadem feſtiuitate dari baptiſmus conſueuerat, quia non dicunt: Quidni enim ſic ridiculè concludentem putemus, cùm tres Miſſas inculcat celebratas vt idem de ſolenni baptiſmo inſinuet? Quàm bene huic loco negatiuum quo tantopere delectatur accommodaret argumentum vt contrarium concluderet! ſi recta ei & directa placerent. Sed quàm ſemper obliqua quærat, & quàm à recto deflectat ſemper, ſuis ipſius verbis poſitiuè conuincendus eſt, vt mox à nobis conuincetur.

CAPVT VI.

Quàm fallaciter generalia Gallicana Decreta vt priuata eludat: Quàm obtuſè Matiſconenſi, Altiſſiodorenſi, Rhotomagenſi Concilio in ſui manifeſtam conuictionem abutatur: Quàm ridiculè in his omnibus ludat, & mirà mentis confuſione nullos magis illudat quàm ſeipſum.

SATIS vtique *ad hominem* fuerit ſuo illum genere negatiuæ probationis conſtringere vt nunquam in beati Ioannis Præcurſoris feſtiuitate vel Natali baptiſmus datus oſtendatur; quia nec datum inſinuant qui vel prærogatiuas eius tam accuratè recenſuerunt & tam effusè commendarunt, vel qui tres Miſſas partim in vigilia feſtiuitatis partim ipſo feſtiuitatis die celebrari ſolitas retulerunt; ac vnam quidem in gratiam baptiſmi cuius miniſterio excelluit: Quamuis

nec purè negatiuum videri poſſet argumentum; quia prærogatiuam tantam ſupponi debent notaturi maximè ſi hanc veram putarent, qua vix major alia videretur. Mittamus tamen modum illum probandi, quem veluti proprium ſibi Launoïus vendicat, & in deſtructionem paſſim non in ædificationem vſurpare tam inconſultò geſtit. Alia nobis ipſe quibus conuinci poſſit argumenta miniſtrat ex Decretis deſumpta Gallicanis, quæ fraudulenter (quia truncatim quædam & ſejunctim) ſed in apertam ſatis conuictionem ſui (quia expreſsè quædam ac explicitè) refert.

§. 1.

Et primo quidem loco (quia ſic ei placet) Concilij Altiſſiodorenſis Canonem 18. (licèt Matiſconenſi ſtatim referendo poſteriorem) ſic producit: *Non licet abſque Paſchæ ſolennitate vllo tempore baptizare niſi illos quibus mors vicina eſt, quos* Grabatarios *dicunt:* Ac deinde Matiſconenſe Concilium ſecundum ſubdit, quod Can. 3. prolixiùs hac de re ſic decernit: *Relatione quorumdam fratrum noſtrorum comperimus*

Chriſtianos non obſeruantes legitimum diem baptiſmi penè per ſingulos dies ac Natales Martyrum filios ſuos baptizare, ita vt vix duo vel tres reperiantur in S. Paſcha qui per aquam & Spiritum-ſanctum regenerentur. Idcirco cenſemus vt ex hoc tempore nullus eorum permittatur talia perpetrare præter illos quos infirmitas nimia aut dies extremus compellit filiis ſuis baptiſmum percipere: Ideoque præſentibus admonitionibus à ſuis erroribus vel ignorantia reuocatos omnes omnino à die Quadrageſimæ cum infantibus ſuis ad Eccleſiam obſeruare præcipimus, vt impoſitionem manuum certis diebus adepti & ſacri olei liquore peruncti, legitimi diei feſtiuitate & ſacro baptiſmate regenerentur.

Vide hîc nouam rurſus fraudulentiam, Lector, nec vnam tantùm ſed multiplicem, etſi non multùm tam fallaci genio dignam: Imò mentis confuſionem quæ pudendum in morem ſe inuoluat, dum eludere vim Concilij tentat aut illius tenorem detorquere! Cur enim primò velut inſultabundus notat quòd *hîc vnicum Paſcha præſtituitur ſanis pro baptiſmo, nec ibit inficias qui Matiſconenſem Cano-*

nem nullâ præpeditus occupatione animi perpendet? Niſi vt contraria Decreta fingat, quorum quædam adjungunt Pentecoſten quam hoc Decretum prætermittit? Nec id aduertit ſaltem quòd propterea Paſcha ſolum à Concilio exprimitur, ne diutiùs protrahendi occaſionem ſocordiores arripiant ſi Pentecoſten exprimeret; quia nec Pentecoſte in Decreto Leonis adjungitur niſi acceſſoriè tantùm, in eorum ſubleuamentum qui legitimè à baptiſmo Paſchali ſine vllâ negligẽtiâ ſuâ impediti fuiſſent; vt ex verbis ipſius euidenter ac planiſſimè patet. Quàm deinde vniformiter addit Corollario 11. quòd iſte Canon Matiſconenſis *nec Ragnemodum Pariſienſem Epiſcopum qui Chilpericum baptizaſſet nec Gregorium Turonenſem qui eum de lauacro ſuſcepiſſet, retardaſſet à peragendo myſterio ſi Chilperici filius ad baptiſmum veniret;* quia *nouerat vterque, & Ragnemodus potiſſimùm qui Concilio interfuerat, quid Canon ille valeat quid ferre recuſet; an beati Ioannis Baptiſtæ Natalem excludat vel non excludat.* Sibi ſaltem in eo hîc etiam vniformis eſt quòd

omnia confundat & ſeipſum, ſicut aliàs paſſim ſolet; cùm Chilpericum ait baptizandum fuiſſe ſi filius ipſius ad baptiſmum veniſſet; quaſi non pro mortuo viuus (iuxta loquutionem Apoſtoli) baptizaretur, ſed mortuus pro viuo; ſeu pro filio Chilpericus qui iam ex viuis exceſſerat; & Gregorium Turonenſem pro ſuſceptore baptizandi obtrudit loco Regis ipſius Guntheramni quem Gregorius ipſe in eum finem Pariſios veniſſe refert, vt ſuperiùs retulimus, & Launoïus quoque verbis Gregorianis referebat. Sed an etiam vniformis in eo ſibi quòd cùm priùs dixerit & non ſine inſultu quodam inculcarit vnicum Paſcha pro ſolenni baptiſmo conferendo à Concilio Matiſconenſi præſtitui, nunc tamen diem ſancti Ioannis Præcurſoris excluſum nolit, quia tunc Ragnemodus qui Concilio interfuerat Chilperici filium baptizaſſet? Quamuis hoc ipſum inuolutè dumtaxat ac veluti ænigmaticè dicit, nec aſſerere audet quòd Ragnemodus noſſet non excluſum, ſed poëticè ludens politus literator & iam Horatianus verſifica-

tor factus, *Nouerat* (inquit) *quid valeat ille Canon, quid ferre recuſet*, id eſt an beati Ioannis diem vel non excludat vel excludat. Quæ loquutio iſta, vt Ragnemodus eo die baptizaturus concludatur, quia nouerat an excluſus fuiſſet in Canone Matiſconenſi, vel non excluſus? Alterutrum nouerat certè qui Concilio interfuerat: Mirum verò ſi noſſet non excluſum, niſi latinam linguam & grammaticam conſtructionem neſciebat, vt per *vnici Paſcha* vel Paſchatis expreſſionem tam apertam excluſum ignoraret. Baptizaturus ergo erat propter prædictam cauſam eo die ſi ad baptiſmum Chilperici filius adfuiſſet, quia publica neceſſitas aut ſingulare priuilegium, non conſuetus aut indifferens vſus poſtulabat: Nec inde quidquam niſi Launoianis cuniculis erui poteſt ad Canonem Matiſconenſem eludendum aut contrarij vſûs præſumptioni colludendum.

Debueras adderequid *valeat ſacer ille Canon* vt metrum illud Horatianũ imitaretur. *quid valeant humeri quid ferre recuſent.*

§. 2.

Cur porrò diſſimulat Magiſter aut ſupprimit quòd præcipuum diſcuſſionis huius fundamentum eſt ac mo-

mentum? Quale fuerit nempe Matiſconenſe Concilium cuius Canonem producendum putauit? Ne minoris exiſtimetur ad Eccleſiæ Gallicanæ vniuerſalem legem præfigendam; nec ſatis plenè intelligatur quantum valeat; adeoque nec ſatis, quantum ferre recuſet nugamenta illuſoria quibus eum inuoluit vt obſcuret? Quidni Gunthramni Regis iuſſu ex vniuerſis Epiſcopis ad ſuam Ditionem pertinentibus conuocatum notauit? Quidni Præſules vltra ſexaginta vel pro majori parte per ſeipſos interfuiſſe vel per Vicegerentes à ſe miſſos expreſſit? Quidni eos tam accuratè à Sirmondo etiam ipſo particulatim enumeratos recenſuit? Scilicet Lugdunenſem, Viennenſem, Rothomagenſem, Burdegalenſem, Senonenſem, Bituricenſem, Æduorum, Auſciorum, Vaſatenſem, Antiſſiodorenſem, Gratianopolitanum, Veſontinenſem, Maſſilienſem, Lemouicenſem, Xantonenſem, Valentinenſem, Carnotenſem, Dinienſem, Matiſconenſem, Aurelianenſem, Niuernenſem, Pariſienſem, Lingonenſem,

Auentinenſem, Arauſicanum, Cabilonenſem, Cabellicenſem, Agennenſem, Petracoricum, Vico-Iulienſem, Benearnenſem, Conuenarum, Aquilimenſem (ſeu Baionenſem) Conomanenſem, Geneuenſem, Eloronenſem, Bigorritanum, Cadurcinum, Rhegienſem, Vapincenſem, Ebredunenſem, Mauriennatem, Glannaticenſem, qui omnes per ſe adfuiſſe dicuntur; deinde Arelatenſem, Antipolitanum, Vencienſem, Tolonenſem, Aquenſem, Dienſem, Eluenſem (ſiue Viuarienſem) Tu-loſanum, Segeſtrienſem (vel Siſtaricenſem) Tarentaſienſem, Vaſionenſem, Carpenctoractenſem, Aquenſem, Tricaſtrinenſem, Nicienſem, Seduuenſem, Auenionenſem, Senetienſem, qui per Vicegerentes adfuerunt; præter alios etiam tres qui proprios Epiſcopatus non habebant. Scilicet metuebat ne Gallicanam Eccleſiam in Concilio Matiſconenſi tam numeroſam adfuiſſe intelligeret Lector, adeoque Decretum eius ad vniuerſas Eccleſias particulares intra Galliam ſitas pertinere.

An ridiculum non eſt, quia obtuſè fraudulentum, quòd poſt baptiſmum Clodouæi Corollario ſexto recantatum, & inde vltro pro vniuerſis Epiſcopis Galliæ recenſitos tantùm tres, Remigium Rhemenſem qui baptizauit, Vedaſtum Atrebatenſem qui baptiſmo adfuit, Auitum Viennenſem qui baptiſmum gratulatus eſt abſens; vt eorum authoritate ratum facere ſe confidat baptiſmum quem præſumit Natali Chriſti die collatum (etſi falsò præſumi oſtendimus) nihilominus ex his tribus exemplis (alioqui præſumptitiis) infert, *Et hoc ipſum eſt Gallicana Eccleſia*; quia nimirum vir tripliciter Canonicus didicit quòd tres faciant Capitulum, & eo modo exiſtimauit quòd tres faciant Eccleſiam: Nunc autem vbi verè potuit hoc vrgere quia nullus Epiſcoporum ferè ad Galliam pro eo ſtatu pertinentium fuit qui vel per ſe vel per Vicegerentem Concilio Matiſconenſi non adfuerit, ſilet, ne in illis Galliam propemodum intelligamus vniuerſam. Sileat verò, ſed ſilenti vel quantumcunque diſſimulanti ſexaginta quatuor Epiſcopos qui

totam propemodum Galliam componebant expreſsè opponimus, vrgemus, infercimus; ac inde concludimus reipsâ contra illum quòd fictitiè contra receptam veritatem ſe concludere ſomniabat ET HOC IPSVM EST GALLICANA ECCLESIA: Id infercimus quoque quod Concilij Præſes ante omnem illius deliberationem ſic præfatus eſt: *Vniuerſæ fraternitati veſtræ ſuademus vt ea quæ Spiritu-ſancto dictante per ora omnium noſtrûm terminata fuerint, per omnes Eccleſias innoteſcant; vt vnuſquiſq; quid obſeruare debeat ſine aliqua excuſatione condiſcat.* En quàm verè in Eccleſia Gallicana pro legitimo ſit habitum baptiſmi dandi tempus, non quale Launoïus fingit, ſed quale figit Matiſconenſis Canon & Eccleſiis ad Galliam pertinentibus vniuerſis præfigit. Quid quòd in eo Concilio Ebredunenſis Epiſcopus aderat? Quidni ergo præſumptitium quod in Natalitiis Chriſti accidere ſoleret miraculum retulit, vt relatu tam authentico Concilij concluſionem impediret? Aderat Epiſcopus etiam Viennenſis: Quidni vr-

gebat ex Auito anteceſſore ſuo Clodouæum eodem die Natalitio baptizatum, vt ſimiliter contra concluſionem tam oppoſitam ex antiquo prætenſo vsû luctaretur? Sed Launoïus non aderat, qui eis inſuſurrans ad aurem quid agere deberent admoneret.

§. 3.

Parum interim ei proſit vt hæc diſſimulare voluerit adeo manifeſta (niſi vel oſcitanter legit, vel quantumlibet lecta non intellexit) quando vix credibile dici poteſt vt contra reliquorum Epiſcoporum ſenſum ſtatuere aliquid auſi eſſent Prouinciales Epiſcopi quilibet, ſi receptus in Eccleſiis Gallicanis iam ab antiquo eſſet vſus extra ſtatutum ibi tempus indifferenter baptizandi; nec reprehenſi eſſent ſaltem quòd eum vſum exiſtimaſſent prohibendum: Et alioqui quòd eadem vel ab aliis Epiſcopis in Prouincia ſua vel Edictis Regiis ad Canones Pontificios accedentibus toto Galliæ Regno per conjunctam authoritatem ſancita ſint, Corollario ſuo decimo volens nolens agnoſcit & fatetur; niſi neſciens quid diceret, quia ſibimet con-

tradicit. Fatetur enimuerò quòd ſemel & iterum in Capitulis Caroli-Magni & Ludouici Pij duo illa tempora Paſchæ ac Pentecoſtes cum alterius cuiuſlibet excluſione pro baptiſmo ſolenniori præfiguntur : Semel quidem in libri 5. numero 104. *Vt baptiſmus non fiat niſi ſtatutis temporibus, id eſt Paſcha & Pentecoſte, niſi infirmitas interceſſerit* : Iterum verò lib. 6. numero 178. *Vt baptizare nullus præſumat niſi per duo tempora, id eſt vigiliâ Paſchæ & vigiliâ Pentecoſtes, niſi immineat mortis periculum.* FATETVR quod Canone 48. Concilij Meldenſis generatim eadem diſciplina ſancitur : *Vt nemo Presbyterorum baptizare præſumat niſi in vicis vel Eccleſiis baptiſmalibus, ac temporibus conſtitutis, niſi causâ ægritudinis vel certæ neceſſitatis, ſicut ſacra Canonum docet authoritas.* FATETVR quòd alludat Meldenſe Concilium ad illa Pontificum Decreta quæ Canonum Eccleſiæ Romanæ Codex tunc habebat : Etſi pro more ſuo fraudulenter omittit quod in præfatione Concilij Meldenſis continetur: Nimirum *quicquid ignorantiâ ſiue fragilitate aut ſtu-*

dio ſiue ſurreptione peruerſum in Eccleſia pullulauerit, recidendum : Et quòd *ob hoc tractandum negotium Venerabiles Epiſcopi Vvenilo Senonicæ Sedis Archiepiſcopus cum ſuffraganeis ſuis, Hincmarus quoque ſanctæ Metropolis Eccleſiæ Rhemorum Archiepiſcopus cum Coëpiſcopis ſuis, & Rodulphus Bituricæ ciuitatis Archiepiſcopus, cæteris etiam Domini Sacerdotibus Legatis vel ſcriptis* (id eſt per Legatos vel Scripta) *ſuam præſentiam exhibentibus, in Meldenſem Eccleſiam de ſuis ciuitatibus conuenerunt ; ibique reſidentes ea quæ ſibi ad Eccleſiæ ſtatum redintegrandum ſancti Spiritûs gratia miniſtrauerit & quæ Patrum Conſtitutio roborarat deuotis mentibus intimare ſtatuerunt :* Et quòd *quoniam poſt Synodum eorum abſolutam admonitionis Epiſcopalis congruentia variis euentibus impedita ſubſequi non potuit, prædicti Venerabiles Epiſcopi vnà cum æquè Venerabili Guntboldo Rhotomagenſi Archiepiſcopo ac Coëpiſcopis ſuis Pariſius conuenerunt, & vt inceptum negotium ad perfectionem debitam propitiante Domino perduceretur ſategerunt.* FATETVR quòd Leonis Decreta & eorum authoritatem ſic vin-

dicat Carolus-Magnus ad Magiſtrum Albinum ſcribens : *Quòd non liceat præter Paſcha & Pentecoſten generaliter baptiſmum celebrari, ſanctus Leo Papa ſatis denegat, niſi fortè infirmitas interfuerit :* Vt omittam quod addit celebrari baptiſmum horâ nonâ, quia Spiritum horâ nonâ emiſit author vitæ, ac horâ nonâ Sacramentum baptiſmi Cornelius meruit, cùm ad eum tunc baptizandum Angelico monitu venit Petrus. FATETVR quòd Heraldus Archiepiſcopus Turonenſis ad annum 838. in Capitulis à ſe traditis numero 31. præſcribat *vt exceptâ infirmitatis causâ certis temporibus Paſcha & Pentecoſte baptiſmata fiant.* FATETVR quòd etiam in Auguſtana Diœceſi quæ ditionis olim Gallicæ fuit, Synodalis habitus fuerit ſermo qui hoc è ſancti Vdalrici Statutis vſurparat, *vt nullus baptizare præſumat niſi in vigilia Paſchæ & Pentecoſtes, niſi propter periculum mortis.*

Huic denique confeſſioni coronidem in Normania ſua quærit & ſic annectit ſupradictis : *Horum temporum conſuetudini accommodat ſe* (inquit),

Rhotomagenſe Concilium quod anno 1072. *habitum eſt: In eo ſiquidem ſtatutum inuenitur :* In vigilia vel in die Epiphaniæ vt nullus niſi infirmitatis neceſſitate baptizetur omnino interdicimus. *Ex quo licet intelligere , in Neuſtria ſeu Normania noſtra fuiſſe qui ante hoc Concilium in Epiphania baptiſmum extra neceſſitatem celebrarent : Sed iſtud Concilio diſplicuit : Atque ita quæ ad eccleſiaſticam diſciplinam pertinent, non vno eodemque tempore ſuſcipiuntur vbique nationum.* O coronidem tanto Critico dignam ! Cur Concilio Rhotomagenſi diſplicuit, Magiſter Launoïe ? niſi quia illegitimum vſum vel abuſum putauit ? Cur putauit illegitimum vſum vel abuſum , niſi quia Decretis Canonicis & Canonibus ipſis generalibus Gallicanis, in Concilio Matiſconenſi potiſſimùm vbi Rhotomagenſis Epiſcopus aderat exaratis, aduerſum intellexit ? Quæ cauda porrò iſta, quòd *ita non eodem tempore quæ pertinent ad eccleſiaſticam diſciplinam vbique nationum ſuſcipiuntur?* An vt velis non priùs in Neuſtriam ſeu Normaniam tuam inductum eſſe vſum

quem Concilium Rhotomagenſe anno 1072. ſanxit? Quid ergo Prætextatus Rhotomagenſis qui Concilio ſupradicto Matiſconenſi ante quingentos ferè annos (hoc eſt ad annum 588.) interfuerat, putandus eſt egiſſe, ſi Decretum illius Concilij quod Epiſcopi ſtatuerant in Eccleſias omnes tranſmittendum, in ſuam reportare neglexit? An vt velis à Prætextato quidem promulgatum, ſed à ſubditis non ſuſceptum; imò quingentis ferè annis rejectum eſſe poſtquam editum erat? Magna Neuſtriæ tuæ ſeu Normaniæ laus fuerit, & magna planè tua qui tam inſigni elogio eam illuſtres, ac pro vſu habeas hunc abuſum! Quin dicis tunc ſuſceptum, quod ei magis honorificum foret, ſed progreſſu temporis (vt omnia in peius ruunt) violari paulatim cœptum, ac proinde à Concilio Rhotomagenſi renouatum? Tuæ ſunt iſtæ ratiocinationes nempe, Antilogice Diſſertator; & quod in S. Thomam Angelicum Doctorem noſtrum irreuerenter longè alio quàm Angelico ſpiritu obganniens ad eius æquiſſimam ratiocina-

tionem illudendam tetrico riſu cachinnaris, *Hæc diſputandi ratio ni fallor habet admirationem*, retorqueri alio ſenſu in te poteſt cuius tam admiranda paſſim quæuis diſſertatio videatur: Niſi mirum eſt verè ac ſeriò ſi malè ratiocinetur S. Thomas, nec minùs mirum ſi tu bene.

§. 4.

Vt id pleniùs in re ſubjectâ innoteſcat, recolligamus in ſummariam ratiocinationem quę hactenus de Gallicano conferendi baptiſmi vſu ſparſim hinc inde præmiſſa ſunt; indeque tandem tuam concluſionem eruamus. Baptiſmum in Paſchate dumtaxat vel adjunctâ Paſchatis appendice (id eſt in Pentecoſte) conferendum non Altiſſiodorenſis tantùm Synodus quæ nonniſi Dioeceſana fuit, ſed Synodus Matiſconenſis ex tot Metropolitis & Epiſcopis conſtituta, vt & Meldenſis vel (quod idem eſt Pariſienſis) quam quatuor Metropolitæ ſuis Coëpiſcopis aſſidentibus concluſerunt, ita decernunt abſolutè vt extra illos dies eum conferri niſi graui neceſſitate id exigente prohibeant: Hoc

Archiepiſcopi Lugdunenſes, Rhemenſes, Viennenſes, Rothomagenſes, Senonenſes, Bituricenſes, Burdigalenſes, Arelatenſes, Bizuntinenſes, Ebredunenſes, Turonenſes, Aquenſes, Auxitani; hoc Epiſcopi tanto priùs numero recenſiti, quos repetere opus non eſt; hoc piiſſimi & Chriſtianiſſimi Reges antiqui duo cum Epiſcopis vnanimiter concurrentes & Canonibus Pontificiis ex profeſſo Edicta ſua conformantes generaliter obſeruandum ſentiunt, præcipiunt, ſanciunt; aliumque inductum citra neceſſitatem vſum vt abuſum explodunt ac reformant: Vſum tu tamen illum vt antiquum & legitimum infers: Quo fundamento? Quia propter Auiti Viennenſis figuratiuam & ſymbolicam loquutionem Clodouæus tibi viſus eſt in Natali Domini baptizatus quem hiſtorica Eccleſiæ Rhemenſis monumenta Sabbatho Paſchæ baptizatum expreſsè profitentur: Quia ex Gregorij Turonenſis dubitabundâ hypotheſi Ebredunenſe miraculum auguratus es, quod nec Ebredunenſes in Natali Domini factum norunt;

çuius omnino nullam in Concilio Matiſconenſi (vbi maximè intererat) Ebredunenſis Epiſcopus ibidem præſens mentionem injecit; quod in Sabbatho Paſchæ factum teſtatur Ado Viennenſis à te in Martyrologio Gallicano cum elogio approbatus: Quia ſancti Ioannis diem ex Gallicano vſu deſtinatum baptiſmo diuinaſti, quòd eo die Regius Infans baptizandus futurus erat ſi dum expectabatur adueniſſet: Quia quod ad aliam quamuis cauſam (ſi factum eſſet) referendum fuerat vt planum eſt, ad conſuetudinem ſine teſte, ſine authore, ſine indice retuliſti; cùm nec ſancti Ioannis diem vt vſitatum in baptiſmo indicet Gregorius dum de filio Chilperici tunc baptizando agit, nec in baptiſmo Clodouæi tempus aliquod notet, nec Auitus de vſu quidquam dicat, quodcunque tempus inſinuaſſe præſumatur. Conclude nunc Magiſter ex duplici teſtimonio deprauato vel nullo quod cum faſtu inculcas Eccleſiæ totius Gallicanæ ſenſum, qualem præſumis tam fidenter contra tot omni exceptione majores nec dubios aut ambiguos

ambiguos teſtes, quos in faciem tibi producit Frater quem tam pauca reſpicientem pronuntiare cauillaris: Conclude nunc ex Normaniæ tuæ vt loqueris abuſu per Concilium Rhotomagenſe reformato verum ac legitimum quem inquirimus vſum; vt alium in Eccleſia Gallicana fuiſſe probes quàm cui tot aperta teſtimonia ſuffragantur. Vah! incautorum ſeductorem! qui te Criticum tamen tam accuratum exactumque garriunt, quia ipſi non ſatis accurati exploratores minùs exactè tua tam præpoſtera, tam exotica, tam contradicentia, tam corrupta perpendunt. Hoc exemplis etiam nouis demonſtrare pergamus.

CAPVT VII.

Falsò & fallaciter & contradictorio ſenſu Anglicanam ſeu Britannicam Eccleſiam pro baptiſmo extra Paſchale tempus vel Pentecoſtes abſque neceſſitate conferendo iactari.

E Gallia nos in Angliam primùm ſine rate traijcit, vt in alias inde Hiſpanienſes Italicas Germanicas regiones abducat; parem ibi fortunam experturus, quam notauimus in prædictis expertum. Anglis quidem Hibernos jungit, & pro eorum conſuetudine ſtare dicit Synodum ſancti Patricij in qua cap. 19. ſic decretum eſt: *Octauo die Catechumeni ſicut poſtea in ſolennitatibus Domini baptizantur; id eſt in Paſcha, Pentecoſte, & Epiphania.* Sed quoniam ad manum non eſt iſta Synodus qualiſcunque vt expendere illam poſſim, ſuperſedeo modò de hoc eius Decreto loqui, donec illud nan-

ciſci contigerit : Niſi quòd non modicam adulterationis ingerere ſuſpicionem Launoïana conſuetudo & inſolitus expreſſionis modus poteſt. Stemus interim in Anglia , & eius vſum expendamus.

§. 1.

Pro Anglorum vtique more nihil habet aliud quod proponat niſi quod Gregorius Magnus mox ab eorum conuerſione decem mille in Dominicæ natiuitatis feſtiuitate baptizatos fuiſſe gratulatur. Vnde Corollario 20. poſtquam retulit Gregorium Anglorum Epiſcopo dicentem valde ſibi placere vt ſi aliquid in Eccleſia Galliarum vel in alia qualicunque pium ac rectum inuenerit, illud apud Anglorum mentes in conſuetudinem deponat , inde infert facilè ſe credere quòd Auguſtinus ex Eccleſia Gallicana morem ac ritum acceperit quem in Natalitiis Chriſti baptizando ſeruauit; & cap. 8. iam indidem audacter intulerat quòd eum diem in baptiſmo ſolenniori vſitatum non modò Gregorius non reprehendat ſed illius confirmet authoritas.

Iam eâ de re ſatis diximus (quantùm ad Gregorij authoritatem vel Auguſtini factum ſpectat) cùm Pontificum de baptiſmo Decreta verſaremus: Iam oſtendimus ab Auguſtino factum eſſe quod neceſſitas recens non quod conſuetudo poſtulabat, & eâ ratione à Gregorio comprobatum; ſicut & de Iudæis per aliam occaſionem ipſe ſanxit vt ſi conuerterentur quemadmodum eos optare audierat, nec expectare pro baptiſmo Paſchale tempus vellent, poſſent alio qualicunque ſolenni die propter neceſſitatem baptizari, ne à priori voto vel voluntate deficerent: Iam conuicimus nullam talem in Eccleſia Gallicana fuiſſe conſuetudinem, *piam, rectam, religioſam* (qualem Gregorius exprimit) extra tempus prædictum baptizandi quam in Angliam deferre poſſet Auguſtinus. Poſſet-ne verò? qui nonniſi ad annum Chriſti 596. in Angliam à Gregorio miſſus, poſt octo tantùm annos à Concilio Matiſconenſi ſupradicto quod anno Chriſti 588. celebratum eſt, Galliam vidit; cùm iam eiuſdem Concilij Decretum de baptiſmo

extra Paſchatis diem citra neceſſitatem prohibito Epiſcoporum vigilantia & pietas per vniuerſas Eccleſias Galliæ, vt ibidem ſtatutum erat, promulgaſſet: Niſi Criticus *piam, rectam, religioſam* putat quam Epiſcopi reprehendendam prohibendamque cenſuiſſent; aut adhuc obſeruatam quam abrogaſſent; aut putatam ab Auguſtino talem (vtcunque illam ſupponeretur inueniſſe) quam abuſiuam, illegitimam, & præpoſteram declaraſſent; aut Epiſcopos non ab eo interrogatos de re quam docere nulli certiùs eum potuiſſent; aut illos potuiſſe aliud ſuggerere quàm quod vnanimiter definiſſent: Præterquàm quòd ſciebat non hoc ſibi à Gregorio vel indictum vel indicatum eſſe vt conſuetudines inſtitutioni Romanæ contrarias ex Eccleſiis qualibuſcunque deſumeret quas deportaret in Angliam; ſed eas tantùm quæ ſuperaddi ſine præjudicio poſſent; & alioqui *piam, rectam, religioſam* nunquam exiſtimaſſet Gregorius quam certò ſciret non Romanis ritibus tantùm ſed Statutis Pontificiis ac Decretis aduerſam.

§. 2.

Eſſet porrò quod mirareris, Lector, ſibi tam imprudenter contradicentem, niſi ſic paſſim conſueuiſſet. Vidiſti modò vt cap. 8. introductum ih Eccleſiam Anglicanam ſtatim ab ipſa gentis conuerſione baptizandi natalitio Chriſti die vſum ac morem inculcarit: Vide nunc in cap. 10. valde vniformiter ſibi pro more ſuo ſuccinentem. *Ad annum* (inquit) 1237. *fuerunt in Anglia qui hanc in Paſchate & Pentecoſte baptizandi conſuetudinem peruerſis rationibus appeterent: Sed eos habitum ſub Ottone Legato Londinenſe Concilium correxit his verbis: Ad baptiſmum ſolenniter celebrandum duo tempora, ſcilicet Sabbatum ante reſurrectionem Domini & Sabbatum ante Pentecoſten, ſunt à ſanctis Canonibus propter myſterium deputata: Sed quidam, vt audiuimus, in partibus iſtis diabolicâ fraude decepti periculum ſuſpicantur ſi præfatis diebus pueri baptizentur; quod arbitrari vel v:cunque metuere ſanæ fidei penitus aduerſatur & manifeſtè conuincitur eſſe falſum; cùm Pontifex ſummus perſonaliter illud myſterium ſolennizet & diebus*

baptizet memoratis , & in aliis mundi partibus ſeruet Eccleſia illud idem: Quare ſtatuimus vt à tanto errore (prædicatione frequenti) populus auertatur, & ad ſolennizandum præfatis diebus baptiſmum & baptizandum pueros ſuos ſtudioſiùs meditentur. Deinde verò ex his Criticus infert : *Sic Concilium interturbatam in Anglia veterem diſciplinam retinuit , ſimulque docuit eandem cùm Romæ tum aliis in locis obſeruari.* Quin & notationem iſtam ſic propitiam ſibi ne patiatur excidere , operoſiùs rurſum Corollario 19. exaggerat ac vrget vehementer : *Nutantem* (inquit) *ab initio diſciplinam in Anglia & fugere conantem, pro viribus Anglicani Præſules retinuerunt in Londinenſi Concilio quod anno 1239. conuocatum eſt ; cui ne quid deeſſet ad ſui præſidium, Legatus Apoſtolicæ Sedis Otto præfuit :* Et poſt eadem verba quæ ſuperiùs ex Concilio retulerat , nunc ex integro (ad inflandam vt credo chartam) repetita , ſubjungit valde ad rem : *Hoc autem cùm ita ſit , non immeritò adjici potuit quod Auguſtinus epiſt.* 118. *Iannario conſulenti reſpondet*; nempe quòd *ſi quid*

horum tota per orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt : Ac maiuſculis quidem characteribus hanc Auguſtini appendicem vltimam exarauit, quaſi prolatam (vt patebit) contra ſeipſum ſententiam euidentiùs notam voluiſſe facere videatur.

Diceres illum antilogiis natum quibus omnia & ſeipſum inuoluat. En veterem Angliæ pro baptiſmo ſolenni diſciplinam duobus temporibus definit quæ toties inculcata ſunt : Et ſuperiùs magno faſtu tertium dominici Natalis inculcabat ab Auguſtino in Angliam præſumptitio vſu introductum. Scio qua effugere parte ſe confidat ne hac antilogiâ conſtringatur: Sed effugio viam ipſe præcluſit cùm adjunxit quæ fugientem retineant, ſi nec ea nos aliunde ad retinendum illum haberemus. Nimirum dicat quòd ad veterem quidem Angliæ diſciplinam duo tempora illa commemorata pertineant , ſed ad eandem tamen diem Chriſti Natalitium pertinere, quem Concilium non excludit ; ac propterea ſe conuinci non poſſe quòd

quidpiam dixerit ſibi vel Concilio contradicens. Ita-ne verò ? Cape, Lector : Duo tempora illa in Concilio Londinenſi commemorantur obſeruanda ſicut in ſacris Canonibus inſtituta ſunt nec Romæ tantùm ſed in aliis item locis ab Eccleſia obſeruantur : Quomodo illa porrò inſtituerunt ſacro-ſancti Canones jam à nobis antea recenſiti, niſi aliud quoduis tempus (exceptâ tantùm neceſſitate) diſertiſſimè prohibentes ? Quomodo Romæ aut aliis in locis idem cum Roma ipſa facientibus obſeruantur niſi iuxta Decreta Pontificum, quæ ſimiliter aliud quoduis tempus excludunt ? Sicut ergo Criticus in cap. 8. ex prædictis concludit quòd *an Angli baptizauerint in Paſchate & Pentecoſte dubitare futurum eſt tantùm pertinacium*, ſic nos non in futurum ſolummodo ſed iam in præſens concludamus pertinaciam eſſe Launoïanam (ne quid ampliùs dicendum ſit) non dubitare tantùm an duobus præcisè temporibus prædictis baptizarint (ſcilicet ſolenniter) ſed aſſerere quòd alius fuerit apud eos mos vetus vt in Chriſti Natalitiis in-

H v

differenter baptizarent.

Cur Concilium porrò non ſimiliter in exemplum veteris diſciplinæ Natalem Chriſti ſicut Paſcha & Pentecoſten expreſſiſſet? Cur non aliquam eius mentionem inſinuaſſet? Cur quod *impetum diſciplinæ ruentis in Paſchate ac Pentecoſte ſuſtinuit* (vt emphaticè in cothurnum aſſurgens Rhetor ampullaceus addit, qui nutantem antea ſolùm & fugientem exhibebat) non diceretur quoque ſuſtinuiſſe in Natali? vel ſaltem diceretur quòd firma ſemper & integra ſtetiſſet in Natali quæ in Paſchate ac Pentecoſte iuxta Critici Rhetoricam nutabat, fugiebat, ruebat? Cur non Launoïano negatiuè argumentandi modo ſic diſputemus *ad hominem* (vtcunque ſe hominem antea negauerit) Vetus Angliæ diſciplina quam Concilium Londinenſe nutantem ſuſtinuit, aut fugientem retinuit, nihil omnino de Natali nec explicitè nec implicitè dicit: Ergo nec ad veterem conferendi baptiſmi diſciplinam Natalis Chriſti pertinebat. Quid eſt quod excipiat contra ſua ipſius principia tam fami-

liaria negatiuus Criticus & Magiſter? Præſertim cùm baptiſmi aliis quibuſcunque diebus conferendi neceſſitatem inſinuarit Concilium : Quod ſic ſubjungit. *Statuimus vt Preſbyteri Parochiales formam baptiſmi firmiter addiſcentes, eam Parochianis ſuis frequenter exponant diebus Dominicis in vulgari* (ſupple idiomate) *vt ſi articulus neceſſitatis emergat quo ipſos aliquem oporteat baptizare, ſciant* &c. Silentiumne de Natali Domini alterutram in partem tam pertinax (vt & Criticus loqui ſolet) ſi ad veterem baptizandi pertinuiſſet diſciplinam; & quod neceſſitate ſemel fecerat Auguſtinus, in morem tranſiiſſet? Alibi ergo quàm in Anglia quærat quod fortaſſis in Eccleſiis vltra mundanis inuenerit.

CAPVT VIII.

Pari ac priùs fallaciâ, obtuſione, nugamento, confuſione mentis, Eccleſiam Hiſpanienſem in exemplum prædicti vſus oſtentari, ac vſum ipſum ex abuſu induci.

CErtè in Hiſpania quò nunc maximè nos deducit nihilo magis quàm in Anglia inueniet, quod exhibere vt ſincerum, vt legitimum, vt authenticum poſſit; quantumuis vel Vvalfrido Strabone indicante, vel Concilij Gerundenſis Decreto innuente ſe inueniſſe glorietur; nec ſemel tantùm id annotaſſe ſatis habeat, ſed reuoluat iterum ſicut ſolet vt ſuæ diſſertationis molem tam exiguam vel ſic auxiſſe videatur; & mirâ illud confuſione vndequaque inuoluat ſicut ſemper, imò & planè pluſquam ſemper.

Apud Hiſpanos (inquit cap. 9.) *aſſertum fuiſſe Natali diei Chriſti priui-*

legium baptiſmatis conſtat ex Vvalafrido, qui hoc notauit in libri de diuinis officiis ſeu de incrementis rerum Eccleſiaſticarum cap. 26. Ex quo vtique verba iſta ſubjungit ac recenſet. *Tempora baptizandi legitima Paſcha & Pentecoſte præfiguntur ſecundùm Decreta Siricij, Leonis, vel Gelaſij Epiſcoporum; quamuis in Concilio Gerundenſi Natalis Domini & Paſcha ponatur.* Tum deinde Criticam ſuam anticriticam addens, eo nomine tam indignam! *Sic in antiquis* (inquit) *huius Concilij Exemplaribus legit Vvalafridus: Sed nos iſtud legere non poſſumus, quia ita viſum eſt recentibus Librariis & Canonum Collectoribus qui veterum Conciliorum Canones diſciplinæ ſui temporis aptarunt.* Mox exhibet Canonem illum Gerundenſem quem ſic interpolatum interpolator ipſe perpetuus præſumit. *De Catechumenis baptizandis ſtatutum eſt vt in Paſchæ ſolennitate vel Pentecoſtes quantò majoris celebritatis celebritas major eſt, tantò magis ad baptizandum veniant: Cæteris ſolennitatibus infirmi tantummodo debeant baptizari, quibus quocunque tempore conuenit baptiſmum non negari.* Et inde

rurſum infert : *Sed monuiſſe ſatis eſt, antiquos Collectores in Conciliorum Canonibus ea ſæpè reſecare & immutare quæ vel obſoleta & inutilia iudicant vel ab æui ſui moribus aliena. Hoc autem qui animaduertere negligunt, ex Conciliis id ſæpè probant cuius oppoſitum Concilia ipſa decreuerunt* : His porrò caudam iſtam ſubnectit, quàm congruam! *Ceterùm, vt ait Tertullianus in libri de velandis virginibus cap.* 1. *ſuo vitio quis quid ignorat; quod autem ignoratur, fuit tam requirendum quàm recipiendum quod agnoſcitur.*

Sed Corollario 9. battologiâ nouâ confuſionem ſupradictam capitis noni augens : *Decreuit quidem Siricius* (inquit) *vt nemo niſi cogat neceſſitas in Natali Domini baptizetur; & ad Himmerium Tarraconenſem Epiſcopum Decreta illa opinor peruenerunt; ſed ea non ſtatim eſſe in authoritatem recepta docent vetera Gerundenſis Concilij Exemplaria quibus ante annos ampliùs octingentos Vvalafridus Strabo vſus eſt. Hæc quin melioris extiterint notæ quàm quæ Binius edidit vel Garſias, conſideratâ re nemo ibit inficias. Strabonis Exemplaria*

potuerunt eſſe vetuſtiſſima vel certè ex vetuſtiſſimis deſcripta, qualia nec Binius nec Garſias habere potuerunt. Deinde in Strabonis Exemplaria non cadit corruptionis ſuſpicio. Cur enim interpolatus fuiſſet Gerundenſis Concilij Canon ſi ab initio non exhibuiſſet Chriſti Natalitia in quibus vt in Paſchate & Pentecoſte baptizaretur? Cur Librarij repræſentaſſent diſciplinam quæ ſernata tunc non eſſet? Sed in Exemplaria Binij & Garſiæ omnino cadit corruptionis ſuſpicio. Librarij Decreta Siricij, Leonis, & Gelaſij nouerant, & ad ea Gerundenſem Canonem aptare voluerunt. Porrò ad annum Chriſti 517. habitum eſt Gerundenſe Concilium cui Tarraconenſis Prouinciæ Epiſcopi interfuerunt. His omnibus denique bellam iſtam imponit Coronidem qua nullam digniorem tot euagationes poſtulabant: *Aliud eſt igitur in rebus eccleſiaſticis Decreta edere; aliud edita Decreta continuò in vſum admitti: Quæ duo ſi quis confundat, multa credet ſcire ſe quæ neſciet omnino.*

§. 1.

Quot confuſæ vndique perturbati cerebri notiones! excurſiones nugatoriæ, circuitus obliqui, fictitiæ ac

falſæ hypotheſes, & præterea ſuppreſſiones veri fraudulentæ! vt aſtruere ſibi videatur Criticus quod potiùs deſtruit: Primò enim cur. id adeo conſtet quia notauit Vvalafridus? Cur non potiùs contrarium conſtare dici poſſit, quia notauit Gratianus, quia Burchardus, quia Iuo, quia cæteri paſſim, vt fatetur? Cur Concilij Gerundenſis Exemplaria veriora viderit Vvalafridus trecentis annis & ampliùs poſt Concilium quàm tres illi prædicti ſaltem quos nominatim expreſſimus? qui etſi Vvalafrido poſteriores, non alia videre niſi manu dumtaxat exarata Exemplaria potuerunt, & ex vetuſtis mutuata! Cur prætermiſſis illis vetuſtiſſimis authoribus Vvalafridus cum nouis hominibus tam fallaciter componitur, vt præſumantur iſti Exemplaria non vidiſſe quæ Vvalafridus vidit; ſed ea ſolùm quæ recentes deprauauerint Librarij vel corruperint? Cur Librariis recentibus id aſcribitur quod ſimiliter in Gothicis & manuſcriptis vetuſtiſſimis Decretorum Exemplaribus videre eſt eodem planè ſenſu relatum? etſi

verbis leuiter immutatis quæ inſtituto non officiant. *De Catechumenis baptizandis id decretum eſt vt in Paſchali feſtiuitate vel Pentecoſte veniant ad baptizandum : Infirmi autem* &c. vt priùs. Cur Canonum recentes Collectores, Binius & Garſias, aut illi quorum Exemplaria ſequuti ſunt, mutationis eius arguantur? cùm non aliter Collectores vetuſtiſſimi legant; nec vnum poſſit Anticriticus inuenire qui Vvalafridi additamentum exhibeat? Cur Vvalafrido credi debeat id obiter dicenti tantùm & ad aliam occaſionem applicanti, potiùs quàm antiquis iſtis Decretorum Collectoribus qui eorum Canones ex profeſſo verſarunt? Cùm in concluſione ipſa libelli ſui ſe ingenuè fateatur *non reperiſſe cuncta quæ dilucidare cupiuit!* Cur in Exemplaria quæ Vvalafridus vidit (vt præſumitur) ſuſpicio non cadat, cùm trecenti iam anni præteriſſent qui corrumpendis Exemplaribus his aut illis in tanta ſcribentium varietate ſuffeciſſe poterant? Cadat autem in ea quæ Burchardus quæ Iuo quæ ſubinde poſt illos vidit Gratianus, etſi nonniſi ma-

nuſcripta, vt præmiſſum eſt? Cur incorrupta ex Hiſpania in Germaniam perueniſſe dicantur quæ Straboni viſa ſint, & Burchardo Germano quoque viſa non ſint? aut non in Italiam peruenerint vt ea Gratianus videre poſſet; vel in Galliam, vt ſimiliter Iuo Carnotenſis videret? Cur cum tam ridicula & inepta petitione principij dicitur quòd ſi ab initio Natalitia Chriſti non exhibuiſſet Canon Gerundenſis, non fuiſſet interpolatus? quaſi certò interpolatus eſſe ſupponatur, quem æquè tamen Decretorum Exemplaria vetuſtiſſima & manuſcripta vniformem exhibent, vt iam ſuprà? Cur verò in prædictis Exemplaribus eum interpolaſſent Librarij recentes vt ad ſui temporis vſum accommodarent, nec ſimiliter interpolandum Vvalafridi Exemplar voluiſſent? quod ſic integrum tamen in omnium recentiſſimâ Editione reliquerunt. Cur imponitur Vvalafrido quòd Gerundenſis Concilij Canone contineri dixerit Pentecoſten? cùm tamen ſolum Paſcha junxerit cum Natali! niſi vt putaretur ad legitima duo tempora

quæ negari non poſſunt addidiſſe Natalem, quem potiùs pro Pentecoſte ſubſtituit; & inde ſuſpicio corruptionis auerteretur quam eiuſmodi ſubſtitutio manifeſtè conuincit?

§. 2.

Quàm prudenter etiam Librarij dicuntur Siricij, Leonis, Gelaſij Decreta cognouiſſe, quibus Canonem Gerundenſem aptare voluerint! Quaſi non ea quoque noſſet Vvalafridus qui commemorat & Canoni prætenſo Gerundenſi præmittit, nec aptare ad illa eum curat! Aut quaſi valde interfuerit ad firmandam vim Decretorum vt Canon illis Concilij particularis Epiſcoporum ſeptem aptaretur. Quàm vtiliter ad propoſitum ac non potiùs futiliter notatur Concilium prædictum Gerundenſe anno 517. habitum, & quòd interfuerint omnes Tarraconenſis Prouinciæ ſuffraganei Epiſcopi! Quaſi hoc valde profit ad eneruandum Gelaſij Decretum quod iam ante aliquot annos Himmerio Tarraconenſi direxerat! Quàm ſubtiliter hinc infertur quòd ſit aliud in eccleſiaſticis rebus edidiſſe Decreta, &

aliud in vſum ea eſſe admiſſa quæ facta ſint; aut eum qui hæc duo confundat, multa ſe præſumere ſcire quæ omnino neſciat! Quaſi non hinc potiùs concludatur eorum culpa qui ſimilia rerum eccleſiaſticarum Decreta recipere abnuunt quàm ipſorum vtique Decretorum valori detrahatur; & in Anticriticum retorqueri non poſſit quòd præſumat ſe multa ſcire aut ab aliis parum cautis præſumi velit, qui tam crebrò ſi aduertatur attentiùs, nihil ſcire ſe probat niſi quod ad fallendum conducere ac ſufficere ſibi putet.

Certè vtcunque Vvalafridus ex Concilio Gerundenſi referat quod antea dictum eſt, abuſum tamen eſſe ſatis apertè ſignificat, non legitimum vſum, cùm ſubjungit: *Quia verò ſecundùm Apoſtolum in morte Saluatoris baptizamur, & ipſe Dominus intraturos regnum cælorum ex aqua & ſpiritu renaſci debere præmonſtrat, congruè à Præſulibus Romanorum hæc duo tempora ſola præfixa ſunt baptizatis, id eſt Paſcha & Pentecoſte; quorum vno paſſio Domini & reſurrectio, altero aduentus celebratur*

Spiritus-ſancti. Cur hoc Anticriticus prætermiſit, niſi vt oſtentaret velut congruè factum eſſe quod contra Pontificum Decreta factum eſſet; ac vt ſatisfaceret ſibi, qui ſic abuſum ſolet obtrudere pro vſu, nec antiquis vtitur monumẽtis niſi vt abutatur? Non ergo dicam quod ad annum 1615. Scriptor Mediolanenſis dixit *mirari ſe ſatis non poſſe Vvalafridum Strabonem (aliàs virum notæ ſapientiæ & eruditionis) eò temeritatis vel erroris delapſum vt baptiſmum Paſchatis & Natalitiorum Christi, demptâ Pentecoſte, Synodo Gerundenſi tribuere auſus fuerit; cùm potiùs in ea Paſchatis & Pentecoſtes baptiſmus magnopere commendetur.* Sed vt concedam Vvalafrido ne illum propterea temeritatis vel erroris accuſem qui leuiùs decipi potuerit, non dubitabo Launoïum hebetudinis accuſare qui ſic obtusè legat aut obliquè, quaſi videri ſtrabo ipſe poſſit; niſi fraudulentiæ mauult, qui fallaciter quæ legerit referat ac detortè vſurpet. Id etiam Germani mox docebunt.

Ioſephus collegij Ambroſiani Doctor de ritibus baptiſmi lib. 1. cap. 22.

CAPVT IX.

Craſſiori quàm priùs fallaciâ, hebetudine, ineptiâ, prædictum vſum extra Paſcha vel Pentecoſten baptizandi ex Germanica Eccleſia deduci per figmentum, contra eiuſdem Eccleſiæ apertiſſima monumenta.

SVFFICERE ad inſtitutum præſens poſſet vel ſolus ipſe quem oſtentauit pro ſe paulò antè tam inaniter Vvalafridus; cùm non alium vſum in Germania ſua receptum eſſe inſinuet quàm quem congruè à Romanis Pontificibus inſtitutum commendat; Sed pleniùs aliis quoque additamentis conuincendus eſt, quorum nonnulla ipſe refert, ſed ſparſim tantùm ac ſejunctim longoque ab inuicem diſſita interuallo, ne tam facilè aduertantur: Nos in aſpectum vnum reuocamus, & ampliora damus.

§. 1.

Primus eſto Amalarius Fortunatus Epiſcopus Treuirenſis qui libro 1. de officiis Eccleſiaſticis ad Ludouicum Pium cap. 38. notans quòd lectiones in Vigilia Paſchæ ſunt de Adam, in Vigilia verò Pentecoſtes dicuntur de Abraham, hanc rationem reddit, quia *quod inter Adam & Abraham diſtat, hoc oportet differre inter doctrinam Magiſtrorum ad Catechumenos qui baptizantur in Paſcha Domini & in Pentecoſte* : Vt eis nempe proponatur in Vigilia Paſchæ quantum ex Adami peccato periculum ſubſequutum ſit ; & ſubinde in Vigilia Pentecoſtes quantum ex Abrahami fide ac obedientia bonum &c.

Tum deinde Rabanus Epiſcopus Moguntinus lib. 2. de inſtitutione Clericorum cap. 32. de Domini Epiphania : *Sciendum* (inquit) *quòd licèt eâ die baptiſmus Chriſti ab Ioanne fieri credatur, vniuerſale tamen baptiſma in ea celebrari canonica contradicit authoritas. Paſchæ ergo tempus tantummodo & Pentecoſtes ad hoc ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris decretum Romana cuſtodit Ec-*

cleſia : Vbi planum eſt Eccleſiam Romanam intelligi non quæ Romanæ Prouinciæ finibus continetur, ſed omnes Eccleſias continet vniuerſo terrarum orbe propagatas : Cur enim alioqui Germaniam non exciperet, ſi alium à Roma vſum ſequeretur? Quid quòd cap. 38. de Sabbato Paſchatis: *Quicunque* (inquit) *ſcire deſiderat quantâ authoritate & ratione baptiſmus iſtius temporis nobis commendatur, legat Decreta Leonis Papæ, & inueniet.* Quid hoc verò eſt, niſi & eum vſum commendatum Germanis eſſe ſicut Romanis, & Leonis Decreto ab iiſdem recepto confirmatum? Sed & cap. 41. de Pentecoſte, ſic in Sabbatho eius baptiſmum ait celebrari, ſicut & in Sabbato Paſchæ celebratur.

Accedit ad Rabanum Burchardus Epiſcopus Vvormatienſis in Germania, qui ex ipſa relatione Launoïj cap. 15. *Eccleſiæ Romanæ diſciplinam in lib. 4. Decretorum refert, eamque ſequendam in cap. 2. ſic proponit* vt à Leone, deincepſque ſicut à Gelaſio & Siricio decernitur : Nec repetere neceſſe eſt ſicut repetit ipſe ad inflandum (vt iam

iam dictum eſt) inauſpicatum libellulum, cùm ſuperiùs relata ſint.

Nec Epiſcopum ſolum Vvormatienſem, qui nonniſi poſt annum Chriſti milleſimum floruit, ſed Concilium Vvormatienſe producimus ex Epiſcopis Prouinciæ totius anno 868. congregatum, quod referente ipſo ex Decretis Burchardi ſic loquitur Can. 1. *Sacro-ſancti baptiſmi Sacramentum nonniſi in Paſchali feſtiuitate & Pentecoſte vnuſquiſque fidelium nouerit eſſe præbendum; exceptis his quibus mortis vrgente periculo ne in æternum pereant, talibus oportet remediis ſubueniri.*

Iam antea in Concilio Moguntino quod ſub Ricolpho habitum eſt ad annum 813. ita 3. Canone definitum fuerat: *Sacramenta itaque baptiſmatis volumus vt concorditer atque vniformiter in ſingulis Parochiis ſecundùm Romanum ordinem celebrentur inter nos atque iugiter conſeruentur, ſicut in Decretis Leonis Papæ continetur; quia duo tempora (id eſt Paſcha & Pentecoſte) ad baptizandum à Romano Pontifice legitima ſunt præfixa.*

Sic in tomis Conciliorum annotatur tomo 3. part. 1. Sect. 2. vt & apud Sirmundum: Etſi Summa Conciliorum anno 847. ſub Rabano habitum notat.

Subinde verò Concilium Tribu-

rienſe à viginti duobus Epiſcopis Germanis anno 895. celebratum, cap. 12. *Sacro-ſanctum baptiſmi myſterium ſciant omnes in Chriſto regenerati nonniſi præfixis & legitimis in anno celebrari temporibus; cum hoc ſibi priuilegium (vt in epiſtola Siricij Papæ legitur) & apud nos & apud omnes Eccleſias ſpecialiter cum Pentecoſte ſua dominicum Paſcha defendat; in quo (vt legitur in epiſtola Leonis Papæ) orta eſt & virtus muneris & ſpecies actionis.*

Viderit iam Criticus præpoſterus qua parte Germaniæ alium vſum inueniat, qui velut ſecum pro more ſuo iam toties notato pugnans Corollario tandem 19. Colonienſem Synodum addit anno M D X L I X. celebratam; *quæ in cap. XIV.* (inquit) *antiquæ diſciplinæ laciniam hanc vindicauit ab injuria temporis quod omnia conſumit: Statuimus vt Paſtores & Concionatores adhortentur populum vt paruulos natos inſtante feſto Paſchæ ſeruent baptizandos in vigilia Paſchæ, & natos feſto Pentecoſtes inſtante, ad feſtum Pentecoſtes vſque ſeruent; ſi tamen nullum immineat vitæ periculum.* Quid expreſſius, vt hæc

tantùm duo tempora baptizandi vſus antiquæ diſciplinæ apud Germanos agnouerit? Cur alioqui non ſtatueret Concilium vt feſto Natiuitatis Chriſti vel Epiphaniorum inſtante natos vſque ad alterutrum diem pro baptiſmo ſuſcipiendo reſeruarent?

§. 2.

Sed enim ad Annales Fuldenſes vt vnicum quod ſibi ſupererat inaniſſimi licèt perfugij aſylum ſe recipit; & Monachiſmi ſupra modum amicus (vt notum eſt) apud Monachos tamen aliunde rejectus quærit quod apud Moguntinos, Colonienſes, Treuirenſes, Vvormatienſes, Tribarienſes, vel Germanos quoſlibet Epiſcopos in Conciliis congregatos nuſquam potuit inuenire. Sic ergo tantùm inauſpicatæ Diſſertationis cap. 11. *Fuit locus in Germania* (inquit) *vbi poſt ætatem Caroli-Magni ſolennius baptiſma traditum eſt in Theophaniis: Cui rei fidem faciunt Annales Francorum Fuldenſes ad annum DCCCXLV.* Vbi dicitur quòd *Ludouicus quatuordecim ex Ducibus Boëmanorum cum hominibus ſuis Chriſtianam Religionem deſiderantes ſuſ-*

cepit, & in octauis Theophaniæ baptizari juſſit: Inde porrò triumphum ſibi canens, ne buccinator deſit, infert: *Quæ verba nullam aliam patiuntur interpretationem.* Quam non aliam, terminorum Interpres lopogryphe Magiſter? Niſi eam ſcilicet qua ſolennis baptiſmus ipſo Epiphaniæ die dari ſolitus indicetur: Sed ex qua parte textûs hanc interpretationem expiſcaris, ne Aurelianenſis Gloſſa (vt vulgare prouerbium fert) videatur? Vbi ſolitus dies? Vbi conſuetudinis expreſſio? Vbi baptiſmi ſolennitas alia quàm quæ ab ipſa perſonarum conditioné ac dignitate poſſit æſtimari? Vbi vel indicium ſaltem quòd in octauis Theophaniæ baptizati ſint, quia ſic vſus erat? An ſi non in octauis Paſchæ vel Pentecoſtes baptizare mos olim fuit, ſed in peruigiliis vtriuſque ſiue Sabbato præcedenti, quamlibet fingeretur Epiphaniæ dies conferendo baptiſmo deſtinatus, id in Octauis æquè fieri diceretur? Nam quod Corollario tuo 15. notas vt Octauam Epiphaniæ confundere cum ipſo die poſſis, quid niſi præſtigia eſt,

illluſio eſt, ſomnium eſt, confuſis vndequaque phantaſmatibus inuolutum? *Quòd in veterum ſcriptis* (inquit) *baptizari quis dicatur nunc in Sabbato ſancto, nunc in Paſchate, nunc in nocte Pentecoſtes, aut in Pentecoſte, in Natali die Chriſti, in Epiphania vel in eius peruigilio aut in Octaua, id faceſſere nullum negotium debet, cùm omnia hæc ſpectent ad idem tempus baptiſmatis.* Tum Concilium Triburienſe in ſubſidium vocas quod in Canone 12 rem apertè demonſtrat ſicut fingis, cùm ait: *Vſque ad octauum diem regeneratio ſacra ab omni populo Chriſtiano celebrabitur, quia reſurrectio Domini octo diebus colitur.* Addis deinde quòd & ex Officio Sabbati ſancti in quo canitur, *Hæc nox eſt,* & ex quorundam Patrum teſtimoniis quæ inſinuas tantùm, & ex Reſcripto Paſchaſini Libybetani ad Leonem quod expreſſiùs refers, colligitur baptiſmus ipſa nocte Paſchatis olim celebratus. Quid magis nugax, præſtigioſum, illuſorium, ſomnolentum, confuſum? Probas nempe quòd in Octaua Paſchæ baptizari vel in Paſchate perinde ſit, quia baptizabatur

ipsâ Paſchatis nocte: Quæ nugacitas! Notas in monumentis Patrum vel in veterum Scriptis Octauam deſignari, qui tamen omnes te ipſo indicante primæ diei noctem præuiam notant: Quæ præſtigia! Pentecoſten ac noctem Pentecoſtes idem aſtruis eſſe vt vtramlibet idem eſſe aſtruas cum Octaua: Quæ illuſio! Refers in Officio ſacro Sabbati ſancti contineri, *Hæc nox eſt*, vt Paſchalem Octauam inſinues: Quale ſomnium! Noctem cum die miſces, diem primum inuoluis cum octauo, & in vtroque factum eſſe affirmas quod in vno dumtaxat factum legis: Quæ confuſio! Annon ex dictis tuis tam confuſis inferre ſic liceat? Num eò tendunt vt baptiſmum Octauæ fictitium inferas aut inferre videri poſſis? Et propterea ſic inuoluis omnia conglobatim vt faciliùs eos fallas qui falli vltro volunt.

Ac illud quidem quod in eundem ſcopum ex Concilio Triburienſi nectis quis non videt quàm fallax, niſi ſponte deceptus? Primò, quia regenerationem ſacram ab omni populo Chriſtiano vſque ad octauum Paſchatis diem

celebrari, abſurdum omnino eſt ita intelligere vt ſit baptiſmum dari, cùm non omnis populus Chriſtianus baptiſmum dare dici poſſit; ſed vt ſit idem quod ſacræ huius regenerationis ineunte Paſchate præcedenti peractæ commemorationem per Octauam recoli, ſicut Reſurrectio ipſa per octo illos dies cum lætitia recolitur. Secũdò, quia cùm Concilium Triburienſe reprobatum ex parte omnes dicant, in iis nempe quæ communi vſui aduerſantur, ſi eo ſenſu per hypotheſim non conceſſam nec vnquam concedendam intellexiſſet quod intendis, vt per Octauam Paſchæ totam reipsâ conferretur baptiſmus, reponendum in iis eſſet quæ reprobata ſupponuntur; cùm nullum inuenias vel vmbraticum veſtigium nec producere vllum potueris baptiſmi per Octauam Paſchalem exhibendi. Tertiò, quia cùm in baptiſmo Pentecoſten etiam expreſſerit, nihil de octo ſucciduis diebus vel baptiſmo per illos dando annotauit; ac propterea ſi baptiſmum intelligeret per octauam non piâ tantùm commemoratione ſed actuali & reali colla-

tione celebrandum id ad Octauam Paſchæ tantùm non ad aliam pertineret; nec inde quidquam pro fictitio baptiſmo tuo in Octauis Epiphaniæ dari ſolito erueres, quod præcipuè tibi aſtruendum incumbit. Quartò, quia cùm ex profeſſo legitima tempora baptizandi aſſignet (quod referre cauiſti) Paſcha tantùm & Pentecoſten iuxta Pontificia tum Siricij tum Leonis Decreta commemorat, nec vmbrâ tenus inſinuat Epiphaniam quam prætendis: Quomodo porrò in Octauis Epiphaniæ viitatum diceret quod nec ipſo Epiphaniæ die faciendum ex inſtituto notet?

Infer modò Interpres Germanice, vt interpretatio tua conſtet, etiam poſt Caroli-Magni tempora quæ deſignas Epiphaniam conferendo baptiſmo deſtinatam, quia quatuordecim Duces in Octauis Epiphaniæ baptizatos tabularia Fuldenſia teſtantur: Hoc enim eſt omnino quod probandum contra me ſuſcepiſti, & quod viciſſim ego in te falſi ſuſcepi conuincendum. Vtique non aliam interpretationem verba quæ inde refers patiuntur quàm quòd

prædicti Duces in Octauis Epiphaniæ baptizati ſint, nec tua nobis Grammaticâ fuerat opus vt id intelligere doceremur: Annon aliam verò quàm quòd ideo baptizati fuerint eo die quia mos erat ipſo Epiphaniæ die baptizare qui nec debeat ab Octauis diſtingui? ac non eos potiùs baptizari tunc præceperit Ludouicus quia ſic neceſſitas occurrens poſtulabat? Vt nempe id in illis factum ſit quod iam ſuprà ex Gregorio faciendum pro illis notauimus qui legitimum tempus vel Paſchalem feſtiuitatem expectare non poſſunt; ſicut iſti non potuiſſe præſumuntur qui terram ſuam cum hominibus etiam ſuis in eum finem reliquerant; præter timendum periculum quod Gregorius rurſum notat, ne ſi longiùs differrentur, à propoſito reſilirent. Sic planè parum in Germania profeceris, Magiſter: Experire an plus in Italia quò nos reducis comparare ac reportare poſſis lucri.

Capvt X.

De Rauennate ſiue Rauennatenſi Eccleſiâ, per nouam rurſus hebetudinem, fallaciam, & ineptiam in exemplum adductâ.

SPerare prorſus non mediocre poſſit ſi fraudi merces, aut ſi illo ſe axiomate Iuris pro mirabili ſagacitate ſuâ expediat, quo fraus & dolus alicui patrocinari non debere dicuntur, & ſe immunitatis priuilegio tueatur: Etſi dubium an fraus dici debeat quæ vix magis obtuſa eſſe poſſit; ac hebetudo diceretur, niſi haberi fraudulentus & ſagax malit quàm obtuſus aut hebes reputari. Alterutrius tamen eum agere partes mox intelliges, Lector, ſi vel non intellexit quod legerat, vel intellectum à ſe tibi tam fallaciter exhibuit. En quod capite ſuo 16. dicit. *Eſt profectò quod quis miretur apud Italiam baptizandi ritum hunc in Theophaniis non modò ad annum 1314. perſeueraſſe ſed etiam Ra-*

uennatenſis Concilij Decreto firmatum eſſe. Inter quæ decimum quartum ſic ſe habet poſt recenſitam baptizandi formulam : Et ne quis ea poſſit deinceps ignorare, mandamus quòd quilibet Rector ſeu Sacerdos ſuum populum debeat & teneatur ter ſaltem in anno inſtruere in prædictis; videlicet in Octaua Epiphaniæ, in Sabbato ſancto Paſchæ, & in Sabbato Pentecoſtes. *At hæc fuere tempora in quibus vt apparet Rauennatenſis Eccleſia ſolenniorem baptiſmum agebat. Diſciplinæ huius in hac Eccleſia origines primas quis poſſet edere, & ad certum tempus defigere? Profectò ante Gelaſium, Leonem, & Siricium cœpiſſe veriſimillimum eſt : Quicquid in cauſa, qui Rauennatenſis Prouinciæ Epiſcopi poſt Siricium, Leonem, & Gelaſium vixere, non putarunt ſibi ſcriptum eſſe quod hi Pontifices ad aliarum Prouinciarum Epiſcopos hac de re ſcripſerant : In accepta ab initio traditione permanſerunt.*

Quid nos ad Rauennatum admirationem vocas, Launoïe? Habemus in te pluſquam ſatis, & nunc maximè, quod miremur : Duo nimi-

rum illa quæ iam dixi; niſi quòd admirationem aſſueta non cauſant. Alterutrum diuiſim dixi priùs: Parum id fuit: Eſt quòd vtrumque dicam indiuiſim: Alterum quidem, dum priori Rauennatenſi Concilio quod anno Chriſti 1311. celebratum eſt prætergreſſo, quia clarius erat quàm vt commodum tibi eſſe poſſet, ad poſterius Concilium anni 1314. præteruolas, quia opportunius exiſtimaſti quod ad fallendum adhiberes; licèt eandem omnino rem ſed verbis paulò minùs expreſſis definiat: Alterum verò, dum & huius poſterioris Concilij Decretum in tranſuerſum detorques, ac obliquè interpretaris contra proprium ſenſum; adeoque non intelligis (quod obtuſi eſt) vel aliter proponis & exhibes quàm intelligas (quod reſtat vt ſit fraudulenti. Fraudulentiam quoque nonnihil iuuat, quòd cùm in aliis quibuſdam referendis quæ ad rem non pertinent, plures paſſim paginas impleueris, vt inde libelluli miſerabilis tui moles creſcere videretur, Decreti tamen Rauennatenſis primam par-

tem quantumuis breuem quæ maximè ad ſenſum pertinebat, prætermiſiſti ex profeſſo, quia non ſic ad inſtitutum tuum intellexiſti pertinere, id eſt ad fraudem contexendam. Sic ſe integrè habet: *Quia damnabile eſt ijs præſertim ad quos ſpectat ex officij debito baptizare, formam Sacramenti baptiſmatis ignorare, atque alijs periculoſum, propterea vt ipſius baptiſmi ſubſtantialia verba nota ſint, & ne quis ea poſſit deinceps ignorare mandamus*, &c. Ibi-ne vel tantillum verbulum de baptiſmo ſolenni conferendo? Baptiſmi forma vel diſcenda Sacerdotibus vel à Sacerdotibus explicanda laïcis præſcribitur, ne ab vtriſque illam periculosè ignorari contingat: Indicatur baptiſmus quouis die, quouis tempore, quauis occaſione indifferenter conferendus: Inſinuatur & conferendus à laïcis cùm neceſſitas poſtulabit; & propterea decernitur vt formam eius accuratè addiſcant: An hoc vocas Decretum de baptiſmo Epiphaniæ confirmando?

§. I.

Sed cur, inquies, eo die de bapti-

zandi forma inſtruendi ſunt laïci, niſi quia baptiſmo deſtinatus ex vſu dies erat? Vis vt vndique te miremur tam inaniter differentem; tametſi differentem prudenter multò magis, quia inuſitatum & inſolitum tibi, miraremur. Annon alio quàm ſolennis baptiſmi die de baptizandi forma edoceri laïci potuerunt? Cùm Concilium dicit *vt ſaltem ter in anno* de illa inſtruantur, ſupponit quòd aliis etiam id fieri diebus iuxta eius intentionem poſſit & congruè debeat: An alios etiam illos dies baptiſmo deſtinatos ex vſu velis, quia in iis forma baptiſmi explicetur? Quid quòd in Concilio Rauennatenſi anni 1311. quod incommodum tibi fuit, & propterea ſuppreſſiſti, decretum ſic fuerat? *Cùm Sacramentum baptiſmi omnium Sacramentorum ſit principium & fundamentum, & ideo propter ſummam neceſſitatem forma eiuſdem à Chriſto inſtitutore tradita à nullo (fidelium maximè) debeat ignorari, ipſam formam (ſacros Canones imitantes) mandamus & præcipimus de cætero ab omnibus baptizantibus irrefragabiliter obſer-*

uari : Et ne de ipſius ignorantia quis valeat excuſari, ter in anno (ſcilicet in die Epiphaniæ Domini, vel in eius Octaua, & in die Reſurrectionis ac Pentecoſtes) per Epiſcopos vel per alios in Eccleſiis Cathedralibus, per Archipreſbyteros in baptiſmalibus, & per Rectores in Parochialibus, in Miſſarum ſolenniis vel prædicationibus publicè & diſtrictè (ſiue diſtinctè) *præcipimus diuulgari.* Cur enimuerò non in ſolis baptiſmalibus Eccleſiis quæ ſingulares olim erant, ſed in Cathedralibus & Parochialibus vbi baptiſmus non dabatur, hoc diuulgari iubet, ſi baptiſmum ſolennem tunc ſolitum conferri attendebat? Mirum-ne porrò vt ſi baptiſmus Chriſti commemoratur vel in die vel expreſſiùs in Octaua Epiphaniæ, quia Magorum adorationi ſingulariter deſtinatus eſt primus dies, baptiſmus quoque Chriſtianorum qui originem aliquatenus propter ſanctificationem aquarum inde ſumpſit, præcipiatur occaſione natâ explicari, ſicut & in Paſchate vel Pentecoſte propter occaſionem ex ipſomet collato natam explicandus iubetur?

Quamuis non exprimatur conferendus quia explicatus eſt, nec explicandus quia collatus; cùm alioqui eum contra intentionem Concilij conferri oporteret quotieſcunque vel vbicunque iuxta Decretum eius explicatur. Quid quòd etiam in eodem ad annum 1311. Concilio Can. 15. decernitur vt illam tam famoſam & notam Decretalem, qua omnis vtriuſque ſexûs peccata confiteri ſemel in anno & percipere Euchariſtiam obligatur, *ſtudeant Sacerdotes in ſuis Eccleſiis Parochialibus tam in Aduentu Domini quàm in Quadrageſima publicare, ac exponere in vulgari* (ſupple idiomate) *ne aliquis de ipſius ignorantia ſe valeat excuſare?* An verò hinc inferas decretum eſſe vt in Chriſti Natali æquè ac in Paſchate Euchariſtiam percipere Diœceſani Rauennatenſes tenerentur? Sedenim quid inferas non inquirimus qui quodlibet inferre ſoles quomodolibet ex quolibet, ſed quid relatum à te Concilium Rauennatenſe ferat; & quid aliud quod ſuppleuimus, à te non ſine fraude prætermiſſum. Tu negatiuis tam aſſue-

tus argumentis, vt recipere nolis quod non dicunt qui tibi placent, quamuis alij dicant qui non placent, cur plus nunc fingis quàm Concilij verba expreſſiſſima ferant? Profer nobis Decretum, negatiue Magiſter, quo firmatum affirmes vſum quem tam obſtinatè defendis; aut patere vt Frater in ſomniis Launoïanis hoc reponat, quod *oraculum* putas.

§. 2.

Opportunè vtique interjicis hanc particulam aſſertionis tuæ moderatiuam, *vt apparet*; niſi addendum fuit apparere per viſum dormitanti. Quin & opportuniùs adhuc addis quòd huius diſciplinæ in Eccleſia Rauennatenſi originem edere nemo poſſit: Eorum enim quæ nec fuerint vnquam nec ſint quis originem edat? Sed ridiculus omnino es cùm veriſimillimum dicis eſſe quòd ante Gelaſium, Leonem, Siricium cœperit; quia credo non putas poſt eorum Decreta inceptum: Subiungis tamen quòd Epiſcopi Gelaſio, Leone, Siricio poſteriores Decreta illa ſibi directa non putarunt, & propterea his Decretis

non obſtantibus in accepta traditione permanſerunt; quaſi anteriores Epiſcopi directa ſibi putaturi fuerint, non putarint poſteriores? An ſi antea incepiſſet, non eam Siricius & notam habuiſſet in Eccleſia Rauennatenſi tam finitimam, & vt illegitimam reprehendiſſet, qui tam remotam à ſe in Eccleſia Tarraconenſi reprehendit? An Leo qui non tantùm ad Epiſcopos per Siciliam conſtitutos Decretum tam ſeuerum hac de re direxerat, ſed ad alios quoque per Campaniam & per Samnium & per Picenum conſtitutos cum non minori ſeueritate pro eodem abuſu reprimendo ac prohibendo aliâ vice ſcripſit, non ad Rauennatenſes pro ſimili occaſione reſcripſiſſet vt idem illis prohiberet, ſi apud eos quoque reſciuiſſet fieri conſuetum? aut qui Leoni (ſeu Neoni) Rauennatenſi Epiſcopo pro baptizandis illis qui de baptiſmo ſuo dubitabant reſcriptum ediderat quod epiſtolâ 37. continetur, non idem ſimiliter feciſſet pro abuſu baptiſmi corrigendo quem in aliis tam ſeuerè correxit? aut à Rauennatibus tam finitimis neſciuiſſet fieri quod à

Siculis tam remotis fieri reſcierat? An Gelaſius quod correxit in Lucania, non correxiſſet in Rauenna? Vel nihil ad ſe Rauennatenſes pertinere putaſſent quod pro Eccleſiarum ſtatu ſe ſtatuere Pontifices affirmant ſupradicti, & fictitiam traditionem ſuam Apoſtolicæ Traditioni quam iidem declarant prætuliſſent? Launoïana iſta deliramenta & ſomnia ſint. Et quidem Sanctus Petrus Rauennas (Chryſologus cognominatus) qui Leoni coætaneus, & Eccleſiæ Rauennatenſis ante Neonem ſeu Leonem prædictum fuit, baptiſmum Chriſti non omittit in ſermonibus Epiphaniæ inculcare, cùm ait in ſermone 157. quòd *per Epiphaniam Chriſtus Iordanis alueum baptiſma noſtrum conſecraturus intrauit; vt quos naſcendo in terra ſuſceperat, hos renaſcendo releuaret in cælum:* Sed an verbum adjungat vllum, quo ſignificet Catechumenos eo die vel baptizatos eſſe, vel ex traditione baptizandos? cùm tamen in ſermone 73. qui de Paſchali ſolennitate primus eſt, *nuper natos* expreſsè commemoret quos intelligit imminente ſolennitate

illâ baptizatos, vt ex adjunctis ibi patet. Sic non habuit Leo quod in Rauennatibus corrigeret; ſed in te identidem habemus quod corrigi debeat, qui omnium te aliorum tam inſulſum exhibes correctorem.

§. 3.

Quod verò in titulo Corollarij tui ſeptimi pro Eccleſiis Ægyptiacis addis, *In Ægypto aliud non eſt baptizari in Natalitiis Domini, & aliud baptizari in Theophaniis, ſed idem*; ne commemoratione quidem dignum videri poteſt, niſi vt hallucinationis aut fallaciæ tuæ nouum ſit argumentum; & vt pateat euidenter quàm nihil ex Ægypto niſi tenebricoſam obſcuritatem retuleris. Titulo illi ſic ſubjectum Corollarium aptas: *Natalis Domini & Epiphania duo feſti dies non ſunt apud Ægyptios, quia vno & eodem die celebrantur. Quare qui hoc die baptizatur, & in Natali Domini & in Epiphania baptizatus rectè dici poteſt: Attamen quia in Epiphania baptiſmus Chriſti recolitur, qui baptizatur, in Epiphania potiùs quàm in Natali Domini baptizatus vulgò dicitur.* Titulum-ne illum probas,

apodictice Summuliſta ? quia nimirum in Ægypto idem Natalitius, idem Epiphaniæ dies; & propterea ex Caſſiano tam pompaticè refers quòd eum diem Ægyptiaci Sacerdotes *vel Dominici baptiſmi vel ſecundùm carnem natiuitatis eſſe definiunt, ac vtriuſque feſtiuitatem ſimul celebrant!* Certè ſi quod probandum à te fuit non ſine vlla probatione ſupponendum, Ægyptiaci Sacerdotes prę'ato die baptizarent, verus titulus eſſet: Sed quis ex hypotheſi tua vel ex relatione Caſſiani hoc inferendum fingat niſi quem fuſcarit Ægyptus aut tenebræ Launoïanæ offuſcarint? Quas porrò minùs cautis offundas paſſim, vt clariſſima quæque inuoluta confundas, reſtat adhuc pro Coronide tractationis declarandum.

QVARTA PROPOSITIO

Et Epilogus omnium prædictarum.

Vetus in Paſcha tantùm & Pentecoſte baptizandi conſuetudo ex relicto in Eccleſiis paſſim vniformi & anniuerſario ritu conſtat: Fruſtraque contra illam heteroclytæ anologiæ Launoïanæ opponuntur, aut antidotum antiphraſticum obtruditur.

QVAM inani ſe circuitu in omnem partem circumuoluerit otioſus Criticus vt quæreret vbique quod nullibi ab eo inuentum eſt niſi adulteratum, illegitimum, deprauatum, in-

telligere ſatis ex antedictis poteſt quicunque ſanis ac ſinceris oculis ea legit. Nunc in globum ſe recolligens ac reuoluens ad ſenſum redit quem per tot regiones ac terras euagantem hactenus diſperſerat ; & à ſe dicta ſic ſummatim reſumit vt canere palinodiam eum dicas ac deſtruere in vniuerſum quod aſtruere ſingulatim tam operosè ſatagebat, ſed otioſo ſicut ſolet ac inutili negotio. Attende, Lector, & expende quàm contradicat ſibi, quàm ſeipſum confundat, quàm deſtruat Corollario ſuo decimo-nono quæ tam rixosè priùs effutiuit.

Certum eſt (inquit) *baptizandi veterem ritum quem ex Siricio, Leone, & Gelaſio retulimus, Romanorum Pontificum Decreto nullo abrogatum eſſe :* Tum deinde mox num. 4. *Certum eſt poſt Magiſtrum Sententiarum abrogari paulatim cœpiſſe cùm nonnulli verterunt in quæſtionem vtrùm ſeruanda eſſent illa duo tempora de quibus Magiſter in libri 4. diſtinctione 6. loquitur, vel vtrùm differendus eſſet baptiſmus : Diſputarunt in vtramque partem acriter : Sed quæ affirmabat fieri cœpta eſt inferior : Siue quia*

non ſatis intellecta fuerit ; ſiue , quia propriis armis inſtructa , traditione videlicet vniuerſalis Eccleſiæ quæ ab Apoſtolicis manabat temporibus ; in aciem non proceſſerit ; ſiue propter aliam cauſam quæ me fugit. En vt veterem diſciplinam duobus tantùm temporibus (Paſchate videlicet vel Pentecoſte) circumſcribit : En vt aliam nullam à Magiſtro Sententiarum vel acerrimis diſputatoribus quos prætexit commemoratam refert : En vt vniuerſalis Eccleſiæ traditione partem illam armatam dicit quæ duo tantùm illa tempora obſeruari volebat ; nec vel Epiphaniam vel Natalem ſeu Chriſti ſeu Ioannis tantillum indicabat : En vt à temporibus Apoſtolicis deriuatam agnoſcit quam ideo vniformiter Eccleſia vniuerſalis obſeruaret, quam Pontifices propoſuiſſent obſeruandam, cuius obſeruantiam ſolennibus Decretis confirmaſſent : En vt aliam à ſe cauſam neſciri profitetur , cur ſic cœperit abrogari, niſi quòd vel non ſatis fuerit intellecta vniuerſalis traditio, vel non ab iis inculcata qui pro prædictis temporibus adhuc ſeruandis diſceptabant:

bant : Ita-ne ſecum ipſe conſentit ? ac non ipſe potiùs dum alios vt non ſatis intelligentes carpit , non intelligit quid & quomodo dicat qui ſuperiùs à ſe dictis tam euidenter contradicit; cùm Eccleſiæ vniuerſali traditionem illam quoduis aliud baptizandi ſolenne tempus excludentem proponi pernegabat.

Subjungit verò præter illa quæ ſuperiùs de Synodo Colonienſi & Londinenſi retulimus nutantem illam diſciplinam vel fugientem retinente, quòd *huius abrogatæ veteris diſciplinæ nonnullæ adhuc reliquiæ ſuperſunt ; vt inprimis quòd aqua quæ ſingulis anni diebus Sacramento inſeruit, in Paſchate tantùm & Pentecoſte conſecratur ; deinde Romana Eccleſia his temporibus quoſdam ſibi comparat Catechumenos quos veteri ritu baptizat ; tum hæc & cæteræ Eccleſiæ officium idem celebrant quod olim perſeuerante illâ diſciplinâ celebrarant.* Quid hoc eſt porrò niſi quòd Eccleſiæ hoc officium vniformiter celebrantes, vt generatim de Occidentalibus fatetur paulò infrà, nec tale quidquam vel in Epiphania vel in Chriſti Natali aut

Ioannis Baptiſtæ vſurpantes, veterem diſciplinam agnoſcunt ſolis Paſchæ vel Pentecoſtes temporibus ad ſolenniter baptizandum præcisè definitam?

Capvt I.

De inanibus & fictitiis analogiis quibus imaginatur ſe probare ſolennem vſum baptizandi alio quàm prædicto tempore à ſe dormitabundè ſomniatum: Et primò quidem de analogia Epiphaniæ.

PRoferat nunc analogias illas tam anomalas & inanes, ex quibus colligere ſe putat per ſomnium quàm congruenter vel in Chriſti Natali vel in eius Epiphania vel in ſancti Ioannis feſto conferendus baptiſmus videatur.

Et ab Epiphania quidem licèt ordine præpoſtero ſic initium ſumit Corollario ſuo quinto. *Tria ſunt* (inquit) *quæ Epiphaniam legitimum eſſe baptiſmi*

tempus oſtendunt : Primùm, Seruatoris noſtri baptiſmus qui hoc ipſo die in Iordane celebratus eſt ; quod eſt exemplum omni exemplo maius : Deinde antiquus & celebris iuxtà Græcorum vſus quem in paucis nominatiſſimi Patres duo Gregorius Nazianzenus & Ioannes Chryſoſtomus vindicarunt : Nec vana erit conjectura, ſi quis hunc in Epiphania tinguendi morem, cuius nullum poſt Apoſtolos notatur in Oriente principium, ab aliquo Apoſtolo vel ſaltem Apoſtolico viro manaſſe credat : In iis quæ fidem non attinent, inductas eſſe varias vniuerſim ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris conſuetudines, quis cum ratione firmâ negaret? Tum demum illuſtre miraculum quo hic vſus in Africa poſt Siricij & Leonis tempora confirmatus eſt. Hoc ſi Pontificum illorum ætate contigiſſet, geſſiſſent ij paulò aliter quàm ſe geſſerunt cum iis qui Epiphaniam jure baptiſmatis donauerant : Deo per ſigna & miracula loquenti credidiſſent.

Nugæ vndique & vndique fraudes; etſi pro more craſſæ ſemper ac Launoïo dignæ. Quorſum ſic nugaciter vel fraudulenter inculcatum exemplum Chriſti, quod à ſcopo tam alie-

num iam oſtendimus ex Leone propter diuerſam prorſus vtriuſque baptiſmi rationem ? Quorſum Nazianzenus & Chryſoſtomus recantati, quos conuicimus nihil tale dicere quale illis Magiſter fallax tam audacter affingit? Quorſum Carthaginenſe miraculum pro baptiſmatis Epiphaniæ præſumptitio vſu replicatum, quod iam vt applicatum fallaciter ſicut & vſum ipſum cui applicabatur vt fictitium exploſimus ? Quale interim illud per appendicem interjectum, non vanam eſſe conjecturam ſi quis hunc morem in Epiphania *tinguendi* (ſicut ſtylo veteri loqui tam eleganter delectatur) vel ab aliquo Apoſtolo vel ab Apoſtolico viro manaſſe credat ! vt aſſerenti contrarium Leoni ſuas illuſiones viſioneſque phantaſ i :as non vereatur anteponere conjector tam inanis figmentorumque ac vmbrarum captator ! Quale illud, vt eius rei principium inquiri ſolicitè debeat cuius nec veſtigium vllum in progreſſu notari poteſt niſi à Launoïo inter vmbras ludente ſomniatum ! & propterea præſumatur ab Apoſtolis,

incepiſſe, quia nec extitiſſe vſquam temporibus Apoſtolicis aut finitimis fingi poteſt. Quale præſertim illud, quòd ſi ſub Siricij aut Leonis ætate contigiſſet euentus idem qui contigiſſe ſub Eugenio Carthaginenſi pro baptiſmo Epiphaniæ aſtruendo & confirmando præſumitur, aliter ſe geſſiſſent cum eis qui prædictum Epiphaniæ diem jure baptiſmi donauerant; & quòd loquenti Deo per miracula credidiſſent! Quaſi jus illud ad cuiuſuis authoritatem indifferenter pertineret; aut Pontifices illi ambo Decreta priùs erronea quæ miraculis emendari oportuerit edidiſſe præſumi poſſint! quod Launoïus maximoperè velit. Atqui hoc ipſum circa Gelaſij ætatem contigerat, & pluſquam vno ac altero ſæculo ante Gregorij ſecundi tempus, qui Launoïo inſtar multorum authorum eſt: Quidni arguit ergo illos quòd nec loquenti Deo crediderint ne contrarium decernerent quàm quòd à Deo ipſo comprobatum tam ſolenniter ac firmatum fuiſſet, vt ſupponit? Cur prætermittit modò illos quos accuratè priùs ac operosè retule-

rat? niſi quòd miraculo ſuo vel abuſui ad quem trahit fidem detrahi timet, ſi Pontifices duo poſt miraculum ſtatuerunt quæ ante miraculum iam ſtatuerant Siricius & Leo, quos in tali euentu tamen Deo loquenti credituros non dedignatur augurari; quaſi alium ſenſum de Gelaſio & Gregorio malis auibus parum æquus aruſpex conceperit.

Sed videamus quænam illa ſint multa quæ ſubjungit *ad præcipuum huius diſciplinæ fundamentum ſuccurrere*, vel *quibus illud explicari* præſumit *ac fulciri*: Habebis, Lector quod aut mireris aut rideas; cùm ex nihilo totum videris concludentem, ex toto nihil.

§. I.

A Hieronymo ſic incipit in caput 3. S. Matthæi: *Triplicem ob cauſam Saluator à Ioanne accepit baptiſmum: Primùm, vt quia homo natus erat omnem juſtitiam & humilitatem legis impleret: Secundò vt baptiſmate ſuo Ioannis baptiſma comprobaret: Tertiò, vt Iordanis aquas ſanctificans per deſcenſionem columbæ Spiritus S. in lauacro credentium monſtraret aduentum.* Hinc Magiſter

concludat quod intendit : Ergo baptiſmo congruenter adminiſtrando aptiſſimum Epiphaniæ diem ſentit & cenſet Hieronymus : Magiſtraliter planè ! Quid ſi concludat ex eadem notatione frater quòd baptiſmum quem Chriſtus à Ioanne ſuſcepit ſuſcipere debeant ipſo Epiphaniæ die Chriſtiani quia tunc eſſe baptizatus dicitur vt baptiſmum Ioannis comprobaret ? Quid ſi doceri petat à Magiſtro vbi Epiphaniæ diem chriſtiano baptiſmo deſtinatum in toto illo Hieronymi Commentario inueniat ? Quid ſi etiam percontetur quomodo negatiuâ Logicâ ſuâ toties rejiciat Magiſter quaſi non ſint aut non fuerint quæ reipsâ ſunt aut fuerunt, quia quiſpiam ea eſſe non dicit aut fuiſſe, nunc tamen velit ex Hieronymo id concludi quod nec per vmbram dicit aut inſinuat Hieronymus ? Launoïana ænigmata iſta ſunt, qualia nec Sphinx ipſa proponat. Patiatur interim ſe à fratre Magiſter edoceri quid aſſertiuè Hieronymus hac de re cenſuerit ; cùm ſuper illud Zachariæ 14. *Exibunt aquæ de Hieruſalem & in æſtate ac in hyeme*

erunt; vel ſecundùm 70. *in æſtate & vere*, poſtquam præmiſit aquam viuam rectè doctrinam Saluatoris exponi, ſubdit: *Aquas viuentes multi ad baptiſmum referunt, quæ in vere & in æſtate, hoc eſt in Paſcha & Pentecoſte ſitientibus largiendæ ſunt:* Imò hiemem quam Vulgata pro vere legit ſuperiùs explicans, non aliter quàm de Paſchate intelligit expreſsè ſicut & ver: Hoc enim dici ait *vt celebremus Paſcha & Pentecoſten;*quia *in Phaſe* (ſiue Paſcha) *hiemis finis, veris exordium eſt; in Pentecoſte principium æſtatis* &c. Quàm opportunè pro Magiſtro vt inde frater confunderetur, Epiphaniam in hieme ſignificatam addidiſſet! cùm ad Epiphaniam hiems magis propriè quàm ad Paſcha referri poſſit vt hieme ipsâ mediâ contingentem: Sed habet frater quo Magiſtrum confundat è conuerſo, ſic Hieronymi verbis nihil pro ſe concludentibus abutentem; ſic Hieronymi verba contrarium inferentia vel imperitè neſcientem vel fraudulenter eludentem; & fratri tamen quaſi pauca reſpicienti ſic thraſonicè inſultantem! Nec Hieronymum hoc

referre vt ab aliis dictum non de ſuo dicere cauilletur : De ſuo dicit quod ad Paſcha & Pentecoſten ſpectat, vt planum eſt : Sed etſi non de ſuo dicere videretur, ex ipſo tamen Launoïano Axiomate quod in alia tractatione vſurpatum vidimus, confirmaret cùm refert nec refellit; nec vel minimum quidquam ad eum vſum corrigendum vel contrarium indicandum adjungit.

§. 2.

Hieronymo ſuccedat Auguſtinus, cuius prolixam nobis periodum obtrudit vt hinc magis oſtendat formidandam; vel ſe ridendum prolixiùs faciat, cùm nec vnum apicem tantillulum in totâ illâ tam prolixâ ſerie annotare licebit inſtituto illius congruentem. Hæc ſunt nimirum quæ in ſermone 1. de Epiphania ex Auguſtino refert. *Nobis ex baptiſmo lauacrum conceſſum eſt quod in Iordanis alueo conſecrauit : Nos quoque in melius eſſe mutandos operis miraculo præmonſtrauit quando aquas in vina conuertit : Et ideo, fratres chariſſimi, in omni actu noſtro ſtellam fidei præparemus & in cuſtodia*

puritatis Chriſti baptiſmum celebremus, quia hæc Chriſti regeneratio noſtræ fidei confirmatio eſt : Inſinuauit enim nobis muneris ſui beneficium per ſecundæ natiuitatis exemplum; & quod facere voluit, prior ipſe fecit. Legimus Iudæos diuerſa ſub lege habuiſſe baptiſmata; ſed nullum ex his contra præuaricationis malum generalem potuit conferre medicinam ; & ideo pro abſolutione totius mundi indigebant regenerationis aquâ cœlitus ſanctificari : Et quia per vniuerſum mundum Sacramentum baptiſmi humano generi opus erat, omnibus aquis benedictionem dedit quando in Iordanis alueum vnicâ ac ſingulari pietate deſcendit : Tunc enim Chriſtum Dominum non tam lauit vnda quàm lota eſt. Tibi ergo naſcendo Chriſtus aduenit, tibi viuendo militauit, tibi moriendo conflixit : Quem vides pro te mortuum, pro te intellige baptizatum. Et quibuſdam interpoſitis : *Vitalem gratiam non corpus ex flumine ſed flumen mutuatur ex corpore. Deſcendere in ſe fontem ſuum fœlix vnda miratur; ſub vno momento remedia æterna concipiens, & nouâ Deum regenerationis fœcunditate parturiens; quod acceperat reddens, & quod non ha-*

Pleniùs legendū eſt, & *quod nos facere voluit.*

bebat accipiens. Quidquam-ne ibi ex quo baptiſmus ipsâ Epiphaniæ die ſignificetur conferendus? Lege, relege, recollige, ſi fortè tale quiddam niſi conſpiciliis Launoïanis deprehendas. Baptiſmum Chriſtus in Iordanis alueo conſecrauit: Ergo eodem die baptizari debemus quo & Chriſtus baptizatus eſt in Iordane: Mirum quòd ſimiliter non concludat, vt æquè poſſet, nos etiam debere in Iordanis alueo baptizari, ſicut baptizatus eſt Chriſtus. In cuſtodia puritatis baptiſmum Chriſti celebrare debemus: Ergo illum ſic celebrare non poſſumus niſi eodem die baptizemur. Perinde concluderet nos annuatim baptizari debere, quandocunque baptiſmum celebramus. Quod nos facere voluit, ipſe fecit: Ergo ſicut in ipſo Epiphaniæ die baptizatus eſt, baptizari etiam nos oportet: Concludat quoque quòd baptiſmo Ioannis baptizari nos oporteat ſicut baptizatus eſt Chriſtus. Vt mortuum pro nobis intuemur, debemus & pro nobis intelligere baptizatum: Ergo debemus vno ſimul tempore baptizari: Quidni etiam propter eandem

cauſam vno ſimul tempore crucifigi? Sic planè concludere debeat, ſi quid putat ex toto illo Auguſtini contextu concludendum: Quales-nam porrò & quàm aptæ ac Launoïo dignæ concluſiones! quas eludere nullo artificio poſſit, niſi malit ſe nihil concluſiſſe. Quidni aduertit quòd vt aquis Iordanis per contactum ipſius Chriſti ſanctificatis hæc eadem in aquas omnes quæ ad baptiſmum adhibentur benedictio & ſanctificatio transfuſa eſt ſicut potuit ex eodem contextu colligere, nec propterea in eadem nos aqua baptizari oportet in qua Chriſtus baptizatus eſt; ſic nec eodem die baptizari nos neceſſe eſt aut expediens, quia quocunque die baptizemur, ſuam baptiſmus noſter ex virtute baptiſmi Chriſti mutuatur & ſumit ſanctitatem. Quidni aduertit quoque quod eodem ſermone versùs finem ſic ſubjungitur? *Chriſtum currentes aquæ tunc infundebant, ſed peccata noſtra ſecum portabant: De illo guttæ baptiſmatis fluebant, ſed noſtra in guttis crimina influebant: O miſericordia ſimul & potentia Dei! Nondum eramus in mundo, & iam*

abluebamur in baptiſmo : Mundati ſumus in illo antequam nati : Nam ipſi fuit baptiſmatis ratio vt aquæ quæ purgaturæ nos erant, ab illo ante purgarentur. An hoc eſt eos omnes ipſo Epiphaniæ die baptizari poſtquam nati ſunt oportere, qui eo die ſupponuntur in Chriſto baptizati antequam nati eſſent? Sic ergo nullus planè alio die baptizari deberet. Quidni tandem aduertit quòd cùm nec verbo tenus baptizandos indicet eo die quos alioqui baptizatos in Chriſto ſignificat, Sabbato tamen Paſchæ vt & Sabbato Pentecoſtes peculiares ad Neophytos de Symbolo reddendo vel poſt illud redditum Conciones inſcribit quas baptiſmi ſuſcipiendi vel ſuſcepti occaſione tunc habuerat, vt & ſerm. 135. ac 181. de tempore manifeſtum eſt, & de Symbolo ad Catechumenos lib. 2. manifeſtè non minùs indicatur. Quidni Magiſter (inquam) qui tam multa ſe reſpicere gloriatur, iſta potiùs tam aperta pro vero ſenſu aſtruendo reſpexit quàm quæ tam inuoluta & inania refert pro falſo ſenſu illuſoriè inferendo? ne rurſus fratri quem vt pauca

reſpicientem exagitat, facere ludum poſſit.

§. 3.

Auguſtino Maximum Taurinenſem ſubjungit, ſed ſic planè ſubjungit vt ad chartam implendam non ad quidquam vel vmbrâ tenus concludendum videri velit ſubiunxiſſe. Sic nempe illum in homilia 1. de Epiphania dicentem refert. *Ferunt hodie Chriſtum Dominum noſtrum vel ſtellã Duce à Gentilibus adoratum, vel inuitatum ad nuptias aquas in vina vertiſſe, vel ſuſcepto à Ioanne baptiſmate conſecraſſe fluenta Iordanis, ſuumque ſimul purificaſſe baptiſtam:* Et quibuſdam interpoſitis: *Quòd autem baptizatus eſt agnus Dei, regenerantis baptiſmi ſalutare nobis munus eſt dedicatum:* Deinde in homil. 6. *Hodie Chriſtus beati Ioannis miniſterio fluenta Iordanis benedictione proprij baptiſmatis conſecrauit:* Et quibuſdam interpoſitis: *Denique cùm baptizaretur Saluator, non ſe deeſſe vnigenito Pater in voce prodidit, Spiritus in columba:* Et quibuſdam interpoſitis: *Sed iam ad baptiſmum Chriſti properemus. Venit Ieſus ad Iordanem, vt baptizaretur à*

Ioanne : Cui ait Ioannes, Ego à te debeo baptizari; quia mihi eſt ex paterna præuaricatione corruptio, & tibi in paterna majeſtate communio : Et poſt alia ſimilia : *Omnia quidem vera ſunt quæ memoras; ſed hæc mei aduentûs eſt ratio vt quia ſub lege factus ſum, ordo legitimus ſuppleatur : Veni enim non vt mihi viuerem cui vita æterna cum Patre eſt, ſed vt conditionem veſtræ mortis auferam : Et hoc eſt juſtiſſimum vt quia totum ſuſcepi hominem, per omnia hominis tranſeam ſacramenta : Et reuera, fratres, quomodo pro nobis Chriſtus ad baptiſmum non veniret, propter quos etiam corporeæ circumciſionis non vitauit injuriam ? Vnde & Ioannes ſalutare myſterium recognoſcens non iam filium Dei vt baptiſta ſanctificat ſed vt deuotus miniſter cœleſtibus obtemperat imperatis.* Poſtremò in homiliâ 7. *Quòd verò fluentis Iordanis baptizatur Ieſus, aquæ noſtro baptiſmati conſecrantur. Aduertite dilectiſſimi fratres quanta nobis in baptiſmate Domini noſtri Ieſu Chriſti patefacta ſit gratia, quàm ſubtili ſacramento ſe Trinitas hodie reuelauit.*

Amabò, Lector, in tot parergis

& extra rem aſſutis inanibus verborum inuolucris vmbram ne vides concluſionis inferendæ? quòd nempe ipſo Epiphaniæ die baptiſmus à Maximo ſignificetur conferendus? An quia dicit quòd fluenta Iordanis conſecrauit hoc ipſo die Chriſtus? Ergo etiam inferatur quòd eo die contra expreſſum Eccleſiæ decretum celebrari nuptias oporteat, quia *quas dudum poteſtate nuptias conſtituit, nunc præſentia ſua benedictione ſanctificat*; ſicut Maximus ibi addit: An quia dicit quòd eo die ſuum Chriſtus baptiſtam (ſeu Ioannem) purificauit? Inferatur etiam quòd & illum eodem die baptizarit baptiſmo ſuo nec aliter purificaſſe dici poſſit, quamuis Euangelij textu & ſenſu repugnante: An quia dicit, *Iam ad baptiſmum Chriſti properemus?* quaſi putetur ſenſus eſſe quòd properemus ad baptiſmum ſuſcipiendum quem inſtituit Chriſtus, vt Magiſter obliquus videri vult: Quamuis planum ſit ſic à Maximo dici vt poſt Magorum adorationem & nuptiarum celebritatem explicatam ſe tandem ad baptiſmum quem Chriſtus à Ioanne

ſuſcepit explicandum tranſire ſignificet: An quia dicit quòd Chriſtus ad baptiſmum pro nobis venit? Inferatur etiam quòd & in Circumciſionis die circumcidi nos oporteat, quia propter nos eo die non recuſauit circumcidi. Quid non Magiſter concludere pro arbitrio poſſit, & ex quo non inferre quod concludat? Sed quærit frater vbi baptiſmi eo die ſuſcipiendi mentionem apud Maximum in prædictis omnibus vel aliis omiſſis deprehendat etiam diuinando: Et alioqui frater ipſe tam pauca reſpiciens inuenit ab eodem in die Paſchæ indicatum quod in Epiphaniæ die non inuenit Magiſter, quamuis tam accuratus & tam multorum explorator: Sic enim homiliâ 2. *In hac die per Neophytos innouatur terra* (id eſt recenter baptizatos) Et homiliâ 5. *Vtique Neophyti noſtri nuper baptizati tanquam Aquilæ depoſitis vetuſtatis exuuiis noua ſanctitatis indumenta ſumpſerunt* &c. Vt & in feſto Pentecoſtes homiliâ 3. prope finem: *Lætemur in hac ſancta die ſicut in Paſcha lætati ſumus: Eſt enim in vtraque die ſimilis eademque ſolennitas: In Paſcha*

enim omnes gentes baptizari ſolent : In Pentecoſte Apoſtoli baptizati ſunt. Quid reponat Magiſter fratri vt baptiſmum Epiphaniæ inferendum concludat ex Maximo, ex quo potiùs Paſchæ ſolùm ac Pentecoſtes inferendum concludit frater?

§. 4.

Sed aliquid opportunius fortè apud Iuonem Carnotenſem ad inferendam ſuam illam concluſionem inueniat; & propterea illum ſupradictis adjungit, velut ea quæ præmiſerunt confirmantem. Vide quàm exoticè rurſus, quàm præpoſterè ac in tranſuerſum, Lector; vt in ſerie tam prolixâ quam refert ſicut priùs ludere ſecum vel illudere tibi, ſi ſic illudi voles, videatur. En quid referat ex decimò ſermone qui de Epiphania inſcribitur : *Hunc Epiphaniorum diem Majores noſtri tribus de cauſis ſanxerunt haberi ſolennem ; quas cauſas fidelis quiſque cognoſcit qui euangelicam hiſtoriam legere vel audire conſueuit :* Et poſt cauſam primam expoſitam ſubnectit : *Alia huius feſtiuitatis eſt ratio quòd Ieſus impleto trigeſimo ætatis ſuæ anno in Iordanem venit ad Ioannem.*

& ab eo baptizatus apertis cœlis per Spiritum-ſanctum in columbæ ſpecie apparentem & paternam vocem Dei filius eſt declaratus. Quibus rebus & de Chriſti natiuitate noſtræ fidei veritas approbatur, & de appetendo baptiſmo & de eiuſdem baptiſmi vtilitate ad fidem venientium ſimplicitas informatur: Vita enim Chriſti vitam inſtituit Chriſtiani: Dum enim credis Chriſtum non ſolùm in ſe mundum ſed etiam ſcelerum mundi mundatorem videlicet baptiſmi Sacramentum à ſeruo ſuſcepiſſe, qua ratione quilibet mundus quilibet ſanctus ne idem Sacramentum à conſeruo ſuſcipiat ſe poterit excuſare? His enim omnibus neceſſaria eſt regeneratio quorum vitioſa præceſſit generatio: Quod quia in eo non fuit de quo legitur, Generationem eius quis enarrabit? ſolummodo propter formam implendæ iuſtitiæ poſteris relinquendam hoc Sacramentum accepit. Quòd verò eo deſcendente in aquas cœli aperti ſunt ſuper eum & Spiritu-ſancto deſcendente in eum filius Dei eſt appellatus, ſublimitatem chriſtianæ gratiæ valde commendat; quia in aquis baptiſmi & flammeus gladius paradiſum nobis intercludens extinguitur &

paradiſi aditus aperitur & vnuſquiſque baptizatus pignus Spiritûs accipiens per adoptionem Dei filius efficitur. Tertia huius feſtiuitatis eſt cauſa quam Dominus anniuerſariâ baptiſmi ſui die coram poſitis diſcipulis ſuis inſinuauit cum bonum coniugale ſuâ præſentia & ſignorum ſuorum initio comprobauit; & eo quòd in nuptiis aquam in vinum mutauit, magnum nobis myſterium commendauit.

Num rurſus rectè à Magiſtro inquirat frater in qua ex tot lineis tam graphicè ac operosè circumductis baptiſmus deſignetur ipſo Epiphaniæ die conferendus, vel ex qua ſaltem analogicè colligatur? Legimus ibi quidem quòd quia Chriſtus impleto 30. ætatis anno baptizatus eſt in Iordane baptiſmum appetere debemus: Legimus-ne quòd eo die ſuſcipere baptiſmum debeamus? aut id poſſumus colligere niſi etiam colligamus quòd anno 30. ætatis noſtræ tantùm nos oporteat baptizari, vel extra ipſum Epiphaniæ diem baptizari congruè nullus poſſit? Legimus eum baptizatum vt vita Chriſti vitam inſti-

tueret Chriſtiani vel ei ad imitationis exemplum eſſet : Legimus-ne quòd propterea baptizari debeat Chriſtianus eodem die quo & Chriſtus ? cùm Apoſtolus tamen dicat nos in illius morte baptizari ! Legimus quòd ſi ſanctus & mundus & ſcelerum totius mundi emundator baptiſmum ſuſcipere à ſeruo dignatus eſt, eum quilibet ſanctus dedignari non debet à conſeruo : Sed an legimus quòd eodem vtrumque die ſimiliter faciendum ſit ? ex quo proinde ſequeretur neminem ſanctum baptizari alio die poſſe, nec vllum tempus præter iſtud baptiſmo conferendo eſſe conuenienter deſtinatum. Cur hæc, Magiſter negatiue, tam nugaciter profers vt phantaſticè probes ex Iuone colligi quod nec per vmbram dicit Iuo ? cùm tibi tamen tam in vſu ſit rejicere quidlibet quia tui authores id non dicunt ! Cur homo tam cándidi pectoris, tam diligens in perquirendis, tam perſpicax in dignoſcendis, tam ſincerus in referendis quorumcunque authorum ſententiis, qualem teipſum iactas & ſimillimi tibi aſſentatores prædicant,

prætergreſſo ſermone 1. qui ex profeſſo de baptiſmo Neophytorum agit, ad ſermonem 10. præteruolas qui de hoc argumento non agit ſicut alter, vt legitimum ac ſolenne baptiſmi tempus quæras vbi nec vmbram eius inuenire niſi fingendo poſſis; non quæras autem vbi reipsâ poſſis inuenire, ad aſtruendum verè feſto Paſchæ quod inaniter Epiphaniæ feſto per figmentum aſcribis? Ibi quippe ſic Iuo: *Qui in Sabbato ſancto ſunt baptizandi, quartâ hebdomadâ quadrageſimalis obſeruantiæ quæ continentiæ nobis arma miniſtrat & quartâ eiuſdem hebdomadæ feriâ catechizandi & exorcizandi deferuntur ad Eccleſiam, ibi audituri & inſtruendi qualiter contra ſpirituales nequitias pugnaturi ſint; ſed tamen vſque in Sabbatum Paſchale baptiſmus eorum differtur; hoc attendente Eccleſiâ quia qui ad agonem in præſenti vitâ vocantur, in ſpe futuræ quietis baptizantur.* Vbi Epiphaniæ tempus quod ſimiliter deſtinatum baptiſmo ſignificet aut inſinuet Iuo? In cerebro Launoïano nempe, quod figmentorum officina non immeritò dici poſſit.

§. 5.

Conclude modò quod concludis, Magiſter; ſed conclude vt ſoles fictitiè, illuſoriè, nugaciter, extra rem & ineptè. *Vt ſpectabilis in Pentecoſte ſancti Spiritûs deſcenſio ſuper Apoſtolos & Petri exemplum qui eodem die millia hominum tria baptizauit, ſunt planè duo quibus Leo ſolennem Pentecoſtes baptiſmum aſſerit & confirmat; ſic & exemplum Chriſti qui in Theophaniis tinctus eſt & corporis contactu aquas conſecrauit, necnon ſancti Spiritûs in Chriſtum deſcenſio, ſunt quoque duo quibus ſolennis Theophaniorum baptiſmus vindicari corroborarique poteſt. Videtur par eſſe vtrobique ratio; eaque facilè formatur ex iis quæ Hieronymus, Auguſtinus, Maximus, Iuo, de Theophaniorum feſto prædicant.* Quàm fictitiè id concludas ex Hieronymo, ex Auguſtino, ex Maximo, ac ex Iuone, iam oſtenſum eſt: Quòd putes parem eſſe in Pentecoſte ac in Epiphania rationem, aut quòd videri parem dicas, annon illuſorium? Cui videri niſi ſomniatori poteſt? Quòd ſpectabilem Spiritus-ſancti ſuper Apoſtolos deſcenſionem cum eiuſdem deſcenſione ſuper Chriſtum conferas,

quòd ad parem referas finem, ac ex vtraque parem inferas ritum, annon (vt mitiſſimè dicam) nugax? Quòd ab exemplo Petri verum baptiſmum chriſtianum in Pentecoſte conferentis conſequentiam ducas ad baptiſmum Ioannis vmbratilem quem in Theophaniorum die ſuſcepit Chriſtus, vt & verum tunc ſuſcipiendum ſyllogizes, annon ineptum ac extra rem? Sed quàm indignum & inſolens & à nemine tolerandum qui ſenſum pietatis non excuſſerit, quòd cùm Leo qui Pentecoſten propter cauſas prædictas conferendo baptiſmo congruenter & legitimè aſſignatam agnoſcit ac definit, Epiphaniam tamen velut Apoſtolicæ traditioni contrariam excludat prorſus ab eodem priuilegio & illius ordinarium vſum in baptiſmi ſolennis ritu ſeueriſſimè prohibeat, eam interim pari jure ac Pentecoſten ex ipſamet Leonis hypotheſi contra ipſius mentem ac Decretum concludi velis; quaſi Leoni rurſum lepus non verearis inſultare; vt & mox pari confidentiâ, imprudentiâ (vix non dicam impudentiâ) te videbimus inſultantem.

CAPVT

Capvt II.

Quàm friuolis & inanibus & fictitiis analogiis Natiuitatem Chriſti celebrando baptiſmo deſtinatam veluti grauiſſimis momentis vindicare conetur.

VT ſecuriùs porrò inſultare Leoni poſſit lepus fugax, Leonem cum Leone committit; ac veluti pugnantem cum ſeipſo & aduerſantem tentat exhibere, cùm in Natali Chriſti conferendum baptiſmum ex illius placito eruere nititur quem alibi non extra Paſcha & Pentecoſten tam ſeuerè decreuit conferendum. Scilicet poſtquam quinque præmiſit iam à nobis exploſa ſigillatim, authoritatem Epiſcoporum Galliæ fictitiam, Ebredunenſe miraculum commentitium, Gerundenſem Canonem deprauatum, exemplum Auguſtini Anglorum Apoſtoli prætextitium, & Gregorij Magni exemplum illud approbantis aſcititiam & alienam planè intentionem,

ſic proſequitur. *Baptizantibus hoc die Sacerdotibus ratio quæ dici poteſt theologica non defuit : Quo enim die Chriſtus natus fuerat, eodem & homines in Chriſto renaſci non immeritò poſſe crediderunt. Id confirmari poteſt ex multis ſermonibus quos ſanctus Leo in Natiuitate Domini habuit.*

§. 1.

Primò quidem ſic eum in capite 3. ſerm. eius primi loquentem introducit: *Agamus ergo dilectiſſimi gratias Deo Patri per Filium eius in Spiritu-ſancto, qui propter multam charitatem ſuam qua dilexit nos miſertus eſt noſtri; & cùm eſſemus mortui peccatis conuiuificauit nos Chriſto, vt eſſemus in ipſo noua creatura nouumque figmentum. Deponamus ergo veterem hominem cum actibus ſuis, & adepti participationem generationis Chriſti carnis renuntiemus operibus. Agnoſce, ô Chriſtiane, dignitatem tuam, & diuinæ conſors factus naturæ noli in veterem vilitatem degeneri conuerſatione redire: Memento cuius capitis & cuius corporis ſis membrum: Reminiſcere quia erutus de poteſtate tenebrarum, tranſlatus es in Dei lumen & regnum: Per baptiſmatis Sacra-*

mentum factus es exemplum.

Cur poſtremæ iſtius appendicis germana verba ſic à Magiſtro mutata ſint (cùm in Leonis textu longè aliter habeantur) mirari poſſit frater; niſi fraus quædam ſubeſt, non valde ſolers & ſubtilis, nec difficili artificio detegenda. Sic enim ſanctus Leo: *Per baptiſmatis Sacramentum Spiritûs-ſancti factus es templum.* Quid hoc ergo eſt, *Per baptiſmatis Sacramentum factus es exemplum?* Niſi fortè Magiſter ſic ludere voluit vt in ſuâ natiuitate Chriſtus nobis exemplum baptiſmatis ad noſtram regenerationem ſuſcipiendi præbuiſſe credatur; adeoque baptiſma illud nullo congruentiùs die ſuſcipiendum ſuadeatur? An illi verò quos alloquitur ſanctus Leo præſentes & in quibus abſentes qualeſcunque indefinitè alloquitur, baptiſmum omnes ipſo Natalis Chriſti die intelliguntur ſuſcepiſſe, quæcunque fingi ſuppoſitio poſſit? An propterea vel in Chriſto viuificati, vel noua creatura effecti, vel veterem hominem cum actibus ſuis exuti, vel participationem generationis Chriſti adepti eſſe ſignifican-

tur quòd eo die baptizati ſint ? Egregium commentum ! Quaſi quos in Paſchate ſolo vel Pentecoſte baptizandos decernit, eos nouam effectos creaturam, veteri corruptelâ exutos, vel in Chriſto viuificatos & generationis Chriſti participationem adeptos non agnoſcat: Quaſi non hæc omnia ſint etiam pleniùs conſequuti per paſſionem ac reſurrectionem ipſius Chriſti & per Spiritûs-ſancti miſſionem, vt Apoſtolus ipſe inſinuat: Quaſi baptiſmus quandocunque vel quouis die detur, vera ſpiritualis natiuitas vel regeneratio non ſit, quæ generationi proinde Chriſti nos conformet. Sed vbi ex tot verbis Leonis & variis appendicibus tam contraria & repugnans illius menti concluſio hæc? *Ergo renaſci per baptiſmum debemus eo die quo dignatus eſt Chriſtus per incarnationem naſci.* Quàm libenter probaret illam S. Leo ! Scilicet ſic prædictis Decretis vniformem !

§. 2.

Pergit Magiſter æquè bene vrgere illa quæ ſerm. 2. cap. 4. idem Leo ſic habet : *Redit in honorem ſuum ab anti-*

quis contagiis purgata natura; mors morte deſtruitur; natiuitas natiuitate reparatur; quoniam ſimul & redemptio aufert ſeruitutem, & regeneratio mutat originem, & fides iuſtificat peccatorem: Quiſquis igitur Chriſtiano nomine piè & fideliter gloriaris, reconciliationis huius gratiam juſto perpende judicio.

Sed quærit rurſum frater quid hæc Magiſtrum juuent ad concludendum quod intendit; quàm juſto judicio deductam à ſe conſequentiam expenderit; quàm rectè putet ex his quæ dicit Leo & quæ dicere illum refert, inferri poſſe quod non dicit; baptiſmum nempe congruenter in die Chriſti natalitio conferendum. *Redit in honorem ſuum ab antiquis contagiis purgata natura:* Ergo nata perſona eo die purgari debet per baptiſmum; & quidem omnis, quia omnis pertinet ad naturam, nec vlla congruenter alio die purganda eſt. *Mors morte deſtruitur;* ſcilicet mors peccati per mortem Chriſti: Ergo debemus per baptiſmum peccato mori quando naſcitur Chriſtus. *Natiuitas natiuitate reparatur;* ſcilicet purâ Chriſti natiuitate natiuitas

hominum ex Adamo corrupta & peccato infecta: Ergo ipſo natiuitatis die reparatio illa fieri debet actualiter in ſingulis, nec extra tempus illud congruenter fieri poteſt. *Simul & redemptio ſeruitutem aufert & regeneratio mutat originem*; ſcilicet originem per quam naſcimur peccatores & obnoxij damnationi regeneratio per quam juſtificamur à peccato & perducimur ad ſalutem: Ergo debemus eo die regenerari congruenter quo Chriſtus natus nobis dicitur vt Saluator; nec regeneratio vera erit ſi extra tempus illud quouis alio die fiat. Quid concludit Magiſter, ſi hoc non concludit? & quàm ridiculè concludit ſi hoc ſaltem concludit! Nec vtique ad ſolam Chriſti natiuitatem vt eſt præciſè natiuitas refert prædicta ſanctus Leo, ſed vt eſt initium redemptionis per paſſionem & myſteria ſubſequentia conſummandæ; vt ex immediatè ibi præcedentibus patet: Præmittit enim quòd *auarus exactor* (diabolus) *in eum qui nihil ipſius habebat inſurgere perſtitit; & dum vitiatæ originis præjudicium generale perſequitur, chirographum quo nitebatur*

excidit; ab illo iniquitatis exigens pœnam in quo nullam reperit culpam; & quòd ſoluitur lethiferæ pactionis malè ſuaſa conſcriptio; ac per injuſtitiam plus petendi totius debiti ſumma vacuatur; & quòd nectitur ſuis vinculis fortis ille, ac in ipſius caput omne commentum eius retorquetur: Quod planè non in natiuitate ſed paſſione peractum eſt: Vt nec in illa ipſa natiuitate actualem regenerationis effectum vel reipsâ perficiendum inſinuat; ſed poteſtatem, in poſterum ad eiuſmodi actualem effectum reducendam: Sic enim ſubdit immediatè poſt prædicta quæ citat mutilator Magiſter Launoïus: *Tibi abjecto quondam & à ſedibus Paradiſi extruſo cui iam non erat ſpes vlla viuendi, per incarnationem Verbi poteſtas data eſt vt de longinquo ad tuum reuertaris authorem, recognoſcas parentem, liber efficiaris ex ſeruo, de extraneo proueharis in filium; vt qui ex corruptibili carne natus es, ex Dei ſpiritu renaſcaris; & obtineas per gratiam quod non habebas per naturam; vt ſi Dei filium per ſpiritum adoptionis agnoueris, Deum* Patrem *audeas nuncupare.* Vides-ne poteſtatem regenerationis

ratus eſt ſuſcipiendæ Chriſtus nobis exemplum præbuiſſet: An alioqui non profuit exemplo, non profuit merito, non ſubuenit proſtratis, non præuaricationi originali remedium attulit, niſi die Natiuitatis eius baptizentur quibus profuturum ſit hoc meritum, hoc remedium, hoc exemplum? Quid inſanius?

Concludere ſubinde tamen pro ſolitâ confidentiâ ſuâ non veretur quòd *hæc omnia Leonis teſtimonia congruentes & peridoneas rationes objiciunt quæ celebrati in dominicâ natiuitate baptiſmi diſciplinam corroborent & illuſtrent*: Quid indignius? quid obtuſius? quid mendacius? Non potuit ſeuerè magis Leo baptiſmum extra Paſcha & Pentecoſten prohibere, vt oſtenſum eſt: Et congruentes ac idoneas rationes objicit quæ baptiſmum in Chriſti Natalibus adminiſtrandum corroborent! Quaſi contra ſeipſum argumenta miniſtret quibus eius Decretum vt ineptum, vt irrationabile, vt incongruum, vt inane, vt nihil minùs quàm idoneum explodatur! Nullum exemplum profert Anticriticus ipſe ab om-

nibus meritò explodendus veri ac legitimi & ſpontanei vsûs pro baptiſmo in dominicâ natiuitate adminiſtrando introducti; ſed fictitium vnum & falſitatis iam conuictum; alterum non ex more ſed ex neceſſitate ſummâ per æquiſſimam ordinariæ legis exceptionem poſt tempora Leonis vſurpatum: Et fingit celebrati baptiſmi diſciplinam in dominicâ natiuitate inſtitutam quam corroboret Leo ac illuſtret! Peridoneas ad hunc finem & congruentes vocat rationes, quæ non aliud probent in propoſito niſi quàm parum idoneè omnia paſſim in alienum ſenſum detorqueat, quàm incongruè interpretetur, quàm præpoſterè intelligat, quàm fraudulenter & obtusè nihilominus deprauare conetur, quàm extra rem & inaniter oſtentare; vt plenè ſatis ex iam dictis ac planiſſimè conſtat, & ex dictorum epilogo quem toti huic tractationi ſubnectimus pleniùs adhuc planiúſque conſtabit.

CAPVT III.

Antidota vel Alexipharmaca Launoïana fictitia quæ phantaſticas tantùm ægritudines curent : Quin potiùs toxica vera cacopharmaca & lethalia quæ immedicabiles morbos in miſerè ab eo faſcinatos & malè ſibi præcauentes inducant.

RESTAT vt quem hactenus Theologi Critici officio tam parum auſpicatè fungentem oſtendimus, Pharmacopœi partes æquè infeliciter exequentem pro Coronide oſtendamus. Hanc nempe vigeſimo Corollario ſuo epigraphen imponit : *Antidotum iis datum qui varios in Eccleſia ſolennioris baptiſmi mores ferre non poſſunt :* Subindeque ſic pergit in contextu : *Qui volunt Eccleſias omnes ad vnum & eundem ritum & morem baptizandi ſolenniorem componere , & tam anguſti ſunt pectoris vt non poſſint adeo varias*

de eadem re traditiones Eccleſiarum concoquere, ij ſanctos Patres & Magiſtros tanquam optimos infirmitatis ſuæ medicos conueniant qui κακοςόμαχα hæc perſanent: Ac demum poſt exempla quæ mox expendam ſigillatim, ac per ordinem excutiam, *Hæc pauca* (inquit) *ſint de multis quæ ad parandum alexipharmacum ſufficiant.* In illis porrò quæ ſex & vlteriùs eius paginas implent ſi vel apicem vnum notes qui ſaltem indirectè ad propoſitam de baptiſmo inſcriptionem pertineat, non detrectabo quin ad Magiſtri pedes vt ad aram Epidaurij ſupplex frater accedam, antidotum ab eo ſummâ demiſſione petiturus quo poſſim ab hac mea infirmitate liberari: Sin autem vndequaque parerga, futilia, inutilia, inania, inepta, nihil ad rem pertinentia deprehendes, erit quòd mecum ſic nugantem rideas, aut præ commiſeratione hoc ei optes quod Rex Ageſilaus Menecrati Medico, *ſanitatem.* Experiamur porrò.

§. I.

A Hieronymo quidem veluti familiam ducente, vt loquitur, incipien-

ſos, vt eius renaſcendo fierent qui naſcendo factus eſt caro noſtra? nec nos ipſius factos eſſe ſic renaſcendo, quia non eo die ſumus baptizati? Quid inconſideratius, imprudentius, ineptius?

Non plus ex iis quæ ſubnectit & ex capite quinto quinti ſermonis mutuatur: *Factus eſt homo noſtri generis vt nos diuinæ naturæ poſſimus eſſe conſortes: Originem quam ſumpſit in vtero Virginis poſuit in fonte baptiſmatis: Dedit aquæ quod dedit Matri: Virtus enim Altiſſimi & obumbratio Spiritus-ſancti quæ fecit vt Maria pareret Saluatorem, eadem facit vt vnda regeneret credentem. Quid autem ſanandis ægris, illuminandis cæcis, viuificandis mortuis aptius fuit quàm vt ſuperbiæ vulnera remediis humilitatis curarentur?* An hoc eſt enimuerò nos ipſo die natiuitatis Chriſti baptizandos? Æquè in die Annuntiationis concluderet, cùm Altiſſimi virtus obumbrauit Virgini & in eam Spiritus-ſanctus aſſerente Angelo ſuperuenit. An hoc eſt aquæ dari dumtaxat quod Virgini datum eſt, ſi eodem quo datum eſt Virgini die aqua baptiſmo

L v

deſeruiat? Quid ſtolidius? Nec remediis humilitatis poſſint vulnera ſuperbiæ curari niſi Natiuitatis die? vt propterea tam exoticam appendicem ſubnecti ad augendæ paginæ molem oportuerit? Quid impertinentius?

Non plus ex vndecimo ſexti ſermonis quem adjungit capite, ſic referens: *Renouat nobis hodierna feſtiuitas nati Ieſu ex Maria Virgine ſacra primordia; & dum Saluatoris noſtri adoramus ortum, inuenimus nos noſtrum celebraſſe principium: Generatio enim Chriſti origo eſt populi Chriſtiani; & Natalis capitis Natalis eſt corporis: Habeant licet ſinguli vocatorum ordinem ſuum, & omnes Eccleſiæ filij temporum ſint ſucceſſione diſtincti, vniuerſa tamen ſumma fidelium fonte orta baptiſmatis, ſicut cum Chriſto in paſſione crucifixi, in reſurrectione reſuſcitati, in aſcenſione ad dexteram Patris collocati, ita cum ipſo ſumus in hac natiuitate congeniti.* Quid hæc Magiſtro rurſus proſint? Nempe, ſi die ipſo Natiuitatis Chriſti fideles omnes vbicunque terrarum degant aut hactenus ab initio Eccleſiæ vixerint reſpectiuè, intelligantur baptizati; ſi ſoli crucifixi.

cum Chriſto dici poſſint vel commortui Chriſto qui die paſſionis ipſius moriuntur; ſi ſoli ſuſcitantur ad vitam immortalem & Chriſto conreſurgunt qui reſurrectionis Chriſti die immortaliter inceperint viuere aut in cœlum victuri peruenire; ſi ſoli ſicaſcendunt in cœlum aut ad Patris dexteram collocantur cum Chriſto qui excedunt è terris die Aſcenſionis Chriſti nec aſcendere quouis alio die poſſunt: Sic enim concludere Magiſter poſſit congenitos cum Chriſto dici qui die ipſo Natiuitatis Chriſti renaſcuntur: Quid abſurdius? Nec intelligit eâ loquutione ſignificari tantùm quòd vt paſſio, Reſurrectio, Aſcenſio, ſic Natiuitas Chriſti reſpectiuè cauſa ſit & fuerit ac futura ſit ſemper ſupradictos effectus quandocunque contingant conſequendi: Quid ſtupidius?

Non plus etiam ex capite ſecundo in ſermone ſeptimo; quòd ſcilicet *naſcens Dominus noſter Ieſus-Chriſtus homo verus qui nunquam deſtitit eſſe Deus verus, noua creaturæ in ſe fecit exordium, & in ortûs ſui formâ dedit humano generi ſpirituale principium; vt ad carnalis*

dum exiſtimauit; ac ex illius epiſtola 28. quæ Lucinio inſcribitur hoc ſolum referendum : *De Sabbato quòd quæris vtrùm jeiunandum ſit, & de Euchariſtia an accipienda quotidie, quod Romanæ Eccleſiæ & Hiſpaniæ obſeruare perhibentur; ſcripſit quidem & Hippolitus vir diſertiſſimus & carptim Scriptores è variis authoribus edidere : Sed ego illud te breuiter admonendum puto; traditiones eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiant, ita obſeruandas vt à Majoribus traditæ ſunt; nec aliorum conſuetudinem aliorum contrario more ſubuerti : Atque vtinam omni tempore jeiunare poſſemus! quod in Actibus Apoſtolorum diebus Pentecoſtes & die Dominico Apoſtolum Paulum & cum eo credentes feciſſe legimus: Nec tamen Manichææ hæreſeos accuſandi ſunt, cùm carnalis cibus præferri non debuerit ſpiritali : Euchariſtiam quoque abſque condemnatione noſtri & pungente conſcientia ſemper accipere; & Pſalmiſtam audire dicentem, Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus; & cum eo canere, Eructauit cor meum verbum bonum : Nec hoc dico quòd dominicis diebus jeiunandum putem, & contextas LX. die-*

bus ferias auferam; ſed vnaquæque prouincia abundet in ſenſu ſuo, & præcepta Majorum leges Apoſtolicas arbitretur. Vbi baptiſmus? quem hinc excipiendum & qua causâ excipiendum ad Epilogi calcem oſtenſurus eſt frater, nec à Magiſtro inter ſua exempla reponendum, quæ nec per vmbram illum niſi oculis Launoïanis inſinuent. Quin & excipiendum ſatis probant hæc verba reſpectiuè accommodanda, *traditiones eccleſiaſticas ita eſſe à nobis obſeruandas vt à Majoribus traditæ ſunt*; cùm ex prædictis conſtet ſic traditum à Majoribus eſſe vt ſolennis baptiſmus in Paſchate ac Pentecoſte tantùm generaliter celebretur.

Sic Launoïus notat, ſicut Eraſmus ante illum: Sed *quinquaginta* ex Hieronymi textu legi debent, à feſto Paſchæ vſque ad Pentecoſten decurrentes, quibus mos non eſt jeiunare.

§. 2.

Poſt Hieronymum familiæ ductorum ſubjungitur ab illo Auguſtinus in epiſtola 86. quæ Caſulano inſcribitur ſic ſcribens: *In his rebus de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura diuina mos populi vel inſtituta Majorum pro lege habenda ſunt; de quibus ſi diſputare voluerimus & ex aliorum conſuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio; quæ labore ſermocinationis (cùm documenta nulla*

veritas inſinuet) vtique cauendum eſt ne tempeſtate contentionis ſerenitatem charitatis obnubilet. Deinde in epiſtolæ 118. quæ ad Ianuarium inſcribitur cap. 2. *Alia verò quæ per loca terrarum regioneſque variantur; ſicut eſt quòd aliqui jeiunant Sabbato, alij verò non; alij quotidie communicant corpori & ſanguini Dominico, alij certis diebus accipiunt; alibi nullus dies intermittitur quo non offeratur, alibi Sabbato tantùm & Dominico, alibi tantùm Dominico; & ſi quid aliud huiuſmodi animaduerti poteſt; totum hoc genus rerum liberas habet obſeruationes; nec diſciplina vlla eſt in his melior graui prudentique Chriſtiano quàm vt eo modo agat quo agere viderit Eccleſiam ad quamcunque fortè peruenerit: Quod enim neque contra fidem neque contra bonos mores injungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum inter quos viuitur ſocietate ſeruandum eſt.*

Quærere à Magiſtro iterum poſſit frater vbi baptiſmus; cuius in vtralibet Auguſtini prædictâ epiſtolâ ne veſtigium quidem! Sed hoc ſolum iam quærit cur notare Magiſter omiſerit quod propter ſolum jeiunium Sabbati

non vbique vniformiter obſeruatum regulam ſupradictam in epiſtola quam Caſulano inſcribebat interjecerit Auguſt. & cur etiam ex altera poſteriori quæ inſcribitur Ianuario ſolam hanc appendicem abruptè retulerit, *Alia verò quæ per loca terrarum* &c. prætermiſerit autem illam quam Auguſtinus præmiſerat, & ex qua tota contextûs connexio ac integritas pendet; putà quòd *illa quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodimus, & quæ toto terrarum orbe obſeruantur, dantur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis vel plenariis Conciliis quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas commendata atque ſtatuta retineri; ſicuti quòd Domini paſſio & reſurrectio & aſcenſio in cœlum & aduentus de cœlo Spiritus-ſancti anniuerſariâ ſolennitate celebrantur, & ſi quid aliud tale occurrerit quod ſeruatur ab vniuerſa quacunque ſe diffundit Eccleſia.* Cur iſta ergo tam ad connexionem neceſſaria prætermittere voluerit Magiſter, & lacunam interjicere maluerit, non immeritò quærit frater, qui morem baptizandi ſolennem ſolis Paſchæ ac Pentecoſtes temporibus ritu veteri deſtinatum ad

ea pertinere oſtenſurus eſt quæ ſeruantur ab vniuerſa quacunque ſe diffundit Eccleſia, & id ad calcem ex tot iam dictis reſumpturus.

§. 3.

Nihilo magis ei proſit Ferrandus Diaconus quem Auguſtino iam ſubnectit, in ſuo ad Reginum Parænetico Regulâ 5. ſic dicentem. *Omnis qui ſe ad Eccleſiam pertinere gloriatur, legibus viuat Eccleſiæ, maximè his quas Antiquitas roborauit: Vnde etiam conſuetudo ſine lege, quam tamen Eccleſiæ ſanctæ traditio cuſtodiendam iugiter poſteris tradidit, eâdem reuerentiâ videtur cuſtodienda & nullatenus amouenda, ſi non eſt fidei veræ contraria. Nec offendat animos tuos Eccleſiarum conſuetudo diuerſa dum fides eſt vna: Paruulis enim mentibus ac penè ſtultis hoc irrepſit vitium, conſuetudinem Eccleſiæ ſuæ vbi vel natus vel enutritus eſt in aliis Eccleſiis quærere; & ſi aliquam diſſonantiam conſuetudinis viderit, patitur repentè ſcandalum fidei. Tu verò vir ſapiens, Eccleſiæ ad quam perueneris ſi approbas fidem, ſequere ſtatim conſuetudinem, nec vſurpes aliquam ſacri ritûs facere nouitatem. Si te*

ſcandalizat mutata conſuetudo, poteſt ſimiliter populum ſcandalizare, cuius voluntatem ſibi dux optimus in rebus bonis ſemper conciliari feſtinat, Apoſtolica verba frequentiùs recolens, vbi ſcriptum habes, Sine offenſione eſtote Iudæis & Eccleſiæ Dei : *Melius ergo videtur ne quod offendiculum detur Euangelio Chriſti, multitudine ſcandalizatâ populi chriſtiani: Patienter dux ſapiens offenſionem tuam toleres, donec alterius conſuetudinis in quo offenderis aut rationem quoquo modo capias aut ſuſcipias dilectionem; ſi tamen (vt ſæpè dicendum eſt) nullum timetur periculum fidei : Quod enim fidei non repugnat, hoc ſolum debet æquanimiter ſuſtineri, pro ſcandalo ſcilicet populi; quia & hoc vtique ad cuſtodiam pertinet fidei vitare ſcandalum populi : Populus quippe ſcandalizatus facilè ad ſchiſmata proſilit; & ſcis quomodo fides periclitetur in ſchiſmate. Bonum itaque eſt vt te fauente, te conſentiente, te nullatenus prohibente ſecundùm piiſſimas Patrum definitiones vnaquæque Eccleſia conſuetudinem ſuam ſequatur; & tu illius conſuetudinis particeps efficiaris quam tenet Eccleſia vbi pro tempore*

vel adminiſtrationis neceſſitate fueris conuerſatus.

An pro ſe, an contra ſe Magiſter iſta refert ? Putat equidem pro ſe, quia baptiſmi ſolenniter adminiſtrandi morem inter illa reponit quæ ad Eccleſiarum conſuetudines varias ac diuerſas pertinent, proindeque ſine præjudicio vel ſcandalo fidei obſeruari ab vnoquoque iuxta proprij loci ritum debent : Sed eum falli dicit frater, quia baptiſmum illum vel baptizandi morem ex eorum numero eſſe teſtimoniis Pontificiis euidenter probauit quorum vſus legibus Eccleſiæ vniuerſalis conſtat; quorum prætermiſſio vel contrarius apud aliquos aliquanto tempore vſus pro abuſu intolerando fuit; & quorum tranſgreſſores velut *irrationabilis nouitatis* authores damnati ſunt : Vnde per ſupradicta verba quæ aliquam prohibent *ſacri ritûs facere nouitatem*, & multò magis in Eccleſia vniuerſali quàm in qualibet Eccleſia particulari prohibere videri poſſint, num baptiſmi adminiſtrandi ritus intelligitur vniformis vbique obſeruandus, vt intelligit rectè frater?

non pro Eccleſiarum diuerſitate variandus, vt fingit præpoſterè Magiſter? Et an valde timere debet eam ob cauſam frater ne paruulæ vel penè ſtultæ mentis vitio laborare intelligatur dum Eccleſiæ morem tam reuerenter laudat conſtanterque defendit; aut ambire Magiſter vt ſapiens niſi à ſui ſimilibus exiſtimetur, dum deprauat aut ludit?

§. 4.

Iam potentius porrò infirmitati noſtræ in Gregorij officina ſeu pharmacopolio medicamentum quærit; & ex illius epigraphe ad Auguſtinum Anglorum Apoſtolum ſcribentis ac variis ab illo propoſitis quæſtionibus reſpondentis id conficere aggreditur. Tertia nempe Auguſtini quæſtio vel interrogatio hæc eſt: *Cùm vna ſit fides, cur ſunt Eccleſiarum diuerſæ conſuetudines, & altera conſuetudo Miſſarum in ſancta Romana Eccleſia, atque altera in Galliis tenetur?* Sed hæc ad interrogationem iſtam eſt Gregorij reſponſio: *Nouit fraternitas tua Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem in qua ſe meminit enutritam: Sed mihi placet vt ſiue in ſancta Romana*

Romana ſiue in Galliarum ſiue in qualibet Eccleſia aliquid inueniſti quod plus omnipotenti Deo poſſit placere, ſolicitè eligas, & in Anglorum Eccleſia quæ adhuc in fide noua eſt inſtitutiones præcipuas quas de multis Eccleſiis colligere potuiſti infundas: Non enim pro locis res ſed pro bonis rebus loca nobis amanda ſunt. Ex ſingulis ergo quibuſque Eccleſiis quæ pia quæ religioſa quæ recta ſunt elige, & hæc quaſi in faſciculum collecta apud Anglorum mentes in conſuetudinem depone. Ac ne rurſus inquirat frater, vbi baptiſmus? Anteuertit Magiſter hac inſigni notatione ſuâ quam ex prædictis colligere ſibi viſus eſt aut pro ſuâ procliuiſſima docilitate ad credendum inferre. *Hinc facilè crederem* (inquit) *Auguſtinum ex Gallicana Eccleſia accepiſſe baptizandi morem & ritum quem in Chriſti Natalitiis ſeruauit & ab eo ſeruatum fuiſſe ipſe Gregorius teſtatur.* Vah! qualem hîc habemus Pharmacopœum! cui obliquè intuenti ac in tranſuerſum obrepſerit *qui* pro *quo*, vt pro pharmaco nobis antipharmacum exhiberet: Qualem Æſculapium! cuius talia dici medicamenta poſſint qualia

olim è ſomniorum oraculis vel è ſomniis oraculorum petebantur. Iam ſuo loco merum ſomnium oſtendimus quòd Auguſtinus ab Eccleſia Gallicana prædictum baptizandi vſum ac morem acceperit, cùm contrarium ritum ſub illius aduentum in Gallias Matiſconenſe Concilium ex vniuerſis Regni Epiſcopis conflatum decreuiſſet; merum ſomnium quòd hunc vſum & morem in Angliam introduxerit Auguſtinus, cùm ſolum Paſchæ ac Pentecoſtes tempus ad veterem Angliæ diſciplinam pertinuiſſe ac diſciplinam illam quæ poſteriùs fugiebat per Concilium Anglicanum præſente Pontificis Legato reuocatam fuiſſe Antilogus Magiſter ipſe obſeruarit; merum ſomnium, quòd in Chriſti Natalitiis Auguſtinus velut ex præterito vſu non ex præſentiſſimâ neceſſitate baptizarit; aut Gregorius eius factum aliter quàm ob illam extraordinariam cauſam gratulabundè approbarit; non vt ordinarium vſum ex inſolito caſu aut euentu neceſſario confirmarit. Medicamentum ergo tam fictitium tuum ſomniantibus para, ſi & illis

tanti eſt: Vti eo tam inſalubri & ad morbum exaggerandum quàm egerendum aptiori nemo vigilantior velit.

§. 5.

Sed nouam doſim ex Epiſcopo Carnotenſi Fulberto addit quæ antidoti vim augeat, cùm ex illius ad Finardum inſcriptâ epiſtolâ hæc refert: *Nouit & verè nouit ſerenitatis veſtræ prudentia quòd in Eccleſiaſticis Officiis plura ſunt in quibus Orientales Eccleſiæ & noſtræ communi obſeruatione ſibi reſpondent; ſunt verò alia in quibus alias ab aliis cultu diſpari & variâ obſeruatione audiuimus diſſonare; ſed nec pauca aut rara ſunt quæ ab aliis neceſſariò ſeruanda, ab aliis non adeo curanda æſtimantur. Nec tamen nos offendit obſeruantiæ diuerſitas vbi fidei non ſcinditur vnitas. Porrò in multis Græcia ab Hiſpania, ab illis Romana & Gallicana diſcrepat Eccleſia: Sed neque in hoc ſcandalizamur ſi audimus diuerſam obſeruationem ſed non diuerſam fidem in Chriſti ſemper Eccleſiis extitiſſe: Stat enim Regina Eccleſia à dextris Regis ſui in veſtitu deaurato circumdata varietate.* An plus inde quàm

ex præcedentibus exculpere Magiſter poſſit quo medeatur infirmitati fratris aut eorum qui parem fratri ex Magiſtri medicinali aphoriſmo ægritudinem patiuntur ? Annon potiùs inde frater malagma expurgandæ Magiſtri bili multò magis efficax conficere, niſi deſperabili morbo & remediis reluctante ac pertinaci laboraret ? Obſeruantias multas in Græcia, in Hiſpania, in Romana & Gallicana Eccleſia varias ac diuerſas Fulbertus notat quæ fidei non ſcindant vnitatem : Sed multas quoque notat illis omnibus Eccleſiis communes, vniformes, hac ipsâ ſui communitate ac vniformitate tantò ampliùs æſtimandas. Quòd ſolennior conferendi baptiſmi vſus & mos ad eas pertineat quæ tam variæ indicantur probare debuerat Magiſter; quod non fecit, quod non faciet, quod facere non poteſt : Atqui quòd ad communes vniformeſque pertineat nec pertinere contrarius niſi ad abuſiuas poſſit ac Decretis Pontificiis emendatas probauit frater & probatum reſumet cùm vltimam concludet appendicem : Quis ergo alterius

medicamento plus egeat ? An frater illo quod Magiſter adulteratum, an Magiſter potiùs illo quod ſincerum exhibet frater ? ſi ſanari à fratre dignaretur.

§. 6.

Eo ampliùs, quàm remediis alienis egere poſſit ſapienter, & quàm alios inſipienter putet ſuis tam inanibus indigere, appendix tibi ſequens oſtendet ex Anſelmo Cantuarienſi ad Vvaleramnum Epiſcopum Nurembergenſem reſcribente deſumpta, vt in epiſtolarum eius libro 3. epiſt. 136. quam ipſe notat videre eſt. Scilicet ad Anſelmum ſcripſerat Vvalerannus veluti queribundus, qualem dicere non omittit Magiſter ne non ſatis intelligatur (ſicut putat) Anſelmi reſponſio: *De Sacramentis Eccleſiæ aliud Palæſtina, aliud Armenia, aliud noſtra Romana, & tripartita ſentit Gallia: Dominici etiam corporis myſterium aliter Romana, aliter Gallicana Eccleſia, ac diuerſiſſimè noſtra tractat Germania.* Reſpondet autem ſic Anſelmus: *Queritur veſtra reuerentia de Sacramentis Eccleſiæ, quoniam non vno modo ſiunt vbique;*

ſed diuerſis modis in diuerſis locis tractatur. Vtiq; ſi per vniuerſam Eccleſiam vno modo & concorditer celebrarentur bonum eſſet & laudabile: Quoniam tamen multæ ſunt diuerſitates quæ non in ſumma rei neque in virtute eius aut fide diſcordant neque omnes in vnam conſuetudinem colligi poſſunt, æſtimo eas potiùs in pace concorditer tolerandas quàm diſcorditer cum ſcandalo damnandas: Habemus enim à ſanctis Patribus quia ſi vnitas ſeruatur charitatis in fide catholica, nihil officit conſuetudo diuerſa. Quid hæc rurſus ad inſtitutum præſens? Quid (inquam) ad baptiſmi ſolennis vſum varium comprobandum? Niſi fingantur ſaltem de Sacramentis indefinitè intelligi, ſicut hîc nudè referuntur & ſyllabicè; nec dubito quin propterea ſic referat Magiſter vt incautus aliquis Lector credat. Sed cur adjuncta non retulit quæ plenè ſenſum explicarent? Cur de nonnullis tantùm ceremoniis agi quarum nulla decreta lex eſt non expreſſit? Nec de aliis quàm quæ ad celebrandæ Miſſæ modum varium ſpectant: Vt quòd calix operiatur panno ne quid in illum ſordis cadat

vel non operiatur à quibuſdam ; & quòd etiam ſuper panis & vini materiam vel vna tantùm crux communis conjunctim, vel ſingulæ diuiſim ac ſeorſim ſuper ſingulas fiant. Hæc enim ſunt quæ Vvaleranni querimoniâ & quæ Anſelmi reſponſione continentur. Inferat hinc Magiſter concluſionem quam probandam ſuſcepit, ſi baptiſmi ſolennis vſum in iis poteſt inuenire quæ apud quoſdam diuerſimodè obſeruantur, nec vllo apud omnes Decreto ſancita ſunt. Sed quàm id fruſtra tentauerit, oſtendit pluſquam ſatis hactenus frater ; nec niſi ex abuſu aliud factum eſſe, ac propterea ſemper vt abuſiuum emendatum. Quid ergo niſi abuſiua ſequatur illatio ex hypotheſi tam inani quam ſicut antidotum venditat, & quæ aqueum planè medicamentum dici poſſit ?

§. 7.

Vt vndecunque porrò medicamenti ſui materiam colligat, in abſtruſis etiam & ignotis angulis eam quærit ; & propterea ſupradictis adjungit quod ex Guiberto quodam Nouigentino ſe colligere putat confectioni eius

opportunum. Sic autem illum lib. 11 de Sanctis & eorum pignoribus dicentem refert cap. 1. *Porrò etiam in iis quæ eccleſiaſticè aut tenentur aut docentur tanta moderatio hactenus conſtat inolita vt nullus promulgare præſumat niſi quod Catholicæ conſonantiæ ſub ratione aut exemplo examinatior cenſura confirmat. Sunt etenim quædam quæ tenentur ſed non docentur; ſicut ſunt conſuetudines aut jeiunandi aut pſallendi; quæ etſi diuerſæ ſunt actu, nuſquam tamen diſcrepant à fidei ſenſu: Nec aliter faciens argui poteſt, qui à diſſimiliter abſtinente aut canente per intelligentiam nullatenus abeſt. Et qui in ſimili fide diuerſitatem fragilitatum officiorumque defenderet, ex ſui ſingularitate priuilegij ſchiſmaticus (& meritò) dici poſſet: Si ergo diuerſum quidpiam pſallis diſſimiliterque jeiunas, non eſt competens aut idoneum vt hoc aliis non minora bona tractantibus importunus prædices aut injungas: Audi Apoſtolum: Qui manducat, Domino manducat: Qui non manducat, Domino non manducat: De ſimilibus idem judicare in promptu eſt.* Itane ſemper fallacia medicamina & fucata obtrudas malè cautè Phar-

macopœe pro fidelibus & ſinceris ? ac morbum putes te ſanare ſi hoc aſſequi poſſis vt ægrotantem fallas, aut fingas ægrotare quem fictitiè ſanes ? Paris vtique figmenti eſt ad vſum tuum quod ex Guiberto tuo Nouigentino refers quàm quod iam ex aliis hactenus retuliſti. Pſallendi, jeiunandi, vel ſimilia faciendi varium in partibus variis vſum tuus ille Guibertus dicat: Hoc de Pſalmis vel jeiuniis vel ſimilibus intelligit nullâ vniuerſali diſciplinâ, nullo decreto, nullâ lege ſancitis, quorum vſus proinde liber ac indifferens eſſe debet; cùm alioqui ſatis apertè in præmiſſis alia ſignificet quæ ratione aut exemplo confirmata ſint, quæ per cenſuram accuratam examinata, & quæ ideo catholicæ conſonantiæ conueniant ac promulgari tutò poſſint, vt antitheſis eius euidenter oſtendit. Atqui vſum baptiſmi ſolenniter vel in Paſchate vel etiam in Pentecoſte adminiſtrandi pertinere ad ea quæ decreta & ſancita ſunt, quæ ratione aut exemplo firmata, quæ proinde conſonantiæ catholicæ congruentia, quid apertius ex-

omnibus quæ recenſuit frater? Adeoque quid apertius quàm quòd Magiſter hîc etiam æquiuocetur ſicut paſſim, & antidota nobis illuſoria dum ſanare præſumit exhibeat?

§. 8.

Prædictis porrò vniuerſis ad perfectius antidoti Mithridatici ſui complementum Romanam ipſam Eccleſiam pro coronide jungit & in illius partem vocat; ſed pari ſicut priùs effectu, id eſt nullo; tametſi doſim ex illâ vnâ ſumptam quanto poteſt artificio ingeminet.

Hæc prima nempe pars eſt, quòd Epiſcopo Ambianenſi Alexander 3. ita ſcribat: *Licèt Romana Eccleſia non conſueuerit propter naturalem frigiditatem aut propter alia maleficia legitimè conjunctos diuidere, ſi tamen conſuetudo Gallicanæ Eccleſiæ habet vt eiuſmodi matrimonia diſſoluantur, nos patienter tolerabimus ſi ſecundùm illam conſuetudinem eidem mulieri, cui voluerit in Domino nubendi conceſſeris facultatem.* Et notat quidem in appendice ad Concilium Lateranenſe ſic haberi: An vt etiam Concilio Lateranenſi hoc inſi-

nuet aſcribendum ? Sed id intendat nec-ne iam non moror : Subjungit verò quòd Eccleſiæ Gallicanæ conſuetudo vetus alia eſt & doctrinæ B. Pauli maximè conſentanea, quam ex Capitularium lib. 6. num. 55. ſic recenſet : *Si vir & mulier conjunxerint ſe in matrimonium, & poſtea dixerit mulier de viro non poſſe nubere cum eo, ſi poterit probare quòd verum ſit, accipiat alium; eo quòd juxta Apoſtolum non potuit illi reddere ſuum debitum* : Et vt maius capitulari huic legi ac ſtatuto accedat robur, notat per appendicem quòd cum Carolo-Magno ſic Antiſtites Gallicani decernant, ne ciuilis dumtaxat non eccleſiaſtica lex putetur. Quàm geſtit in medullis ac viſceribus opponere Romanæ Gallicanam! eamque Apoſtoli doctrinæ (ſicut addit) conſentaneam, vt Romanæ hoc ipſo præualeat! Pro ſuâ tamen in Romanam reuerentiâ ſatis notâ ſubnectit ſe non ideo id notare vt Eccleſiæ Romanæ conſuetudo ſpernatur, ſed vt appareat conſuetudines alias eſſe aliis rationi congruentiores, quæ omnes tamen in eadem fide reti-

nentur & obſeruantur; quod eſt alapam impingendo dicere, *Aue Rabbi*; quaſi conſuetudo quæ doctrinæ beati Pauli non agnoſcitur conſentanea nec rationi ſatis congrua, non ſpernatur. Nunquid & illam ſpernit aut ſpernere ſe ſatis apertè ſignificat, cùm ſtatim ſubdit quòd poſt Alexandrum tertium conſuetudinem illam ſuam deſeruerit Eccleſia Romana & Gallicanam acceperit? Nec malè ſimul notat mutationem illam præſumptitiam ſuo non officere inſtituto, cuius nimirum ea mens eſt vt in ſacris etiam rebus leges Romana condat quæ ſint à Gallicana corrigendæ.

Verum-ne tamen quòd poſt Alexandrum tertium conſuetudo illa Romana mutata ſit in Gallicanam? Cùm Lucius tertius Alexandri ſucceſſor de fœminis impotentibus an contrahere matrimonium poſſint ſic reſpondeat: *Licèt incredibile videatur quòd aliquis cum talibus contrahat matrimonium, Romana tamen Eccleſia conſueuit in conſimilibus iudicare vt quas tanquam vxores habere non poſſunt, habeant vt ſorores.* Et ſimiliter Cæleſtinus tertius multis

poſt Alexandrum annis de virorum impotentia ſic decernat: *Si frigiditas prius probari non poſſit, cohabitent per triennium; quo elapſo ſi nec tunc cohabitare voluerint & mulier probauerit quòd cum eâ vir coire non poſſit, accipiat alium: Quòd ſi ambo conſentiant ſimul eſſe, vir eam etſi non vt vxorem, ſaltem habeat vt ſororem.* Sic nempe temperare Romana Eccleſia voluit quod conjunctis videri durum poſſet ſi ab inuicem contra nutum proprium ſeparari omnino cogerentur; modò nullum timeri de illorum cohabitatione periculum, nullum ſcandalum poſſet: Quamuis aliud quoque reſpexiſſe videtur Alexander quod Launoïus non expreſſit; nempe quòd propter naturalem frigiditatem conjunctio diſſolui non debeat niſi cùm perpetuam conſtat eſſe; vt neque propter maleficium quod perpetuum non ſit; & propterea non tam citò conjunctionem illam conſuetudo Romana diſſoluebat, vt Gallicanam ſtatim facere ſupradictum Capitulare ſignificat æquiualenter, cùm ſimplicem ad eum finem probationem viri aut mulieris prærequirit: Nam

alioqui Alexander hac appendice quam ſupprimit etiam Launoïus Reſcriptum ſuum vel reſponſum concludit : *Sicut puer qui non poteſt reddere debitum non eſt aptus conjugio , ſic qui ſunt impotentes , minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur.* Non ergo Eccleſiæ Romanæ poſterior conſuetudo quantum ad eiuſmodi conjunctiones propter indubitatum ac perpetuum frigiditatis impedimentum diſſoluendas à præcedenti quidquam differt, nec propterea per Gallicanam emendata fuiſſe vel mutata in Gallicanam dici poteſt.

Sed his tanquam parergis prætermiſſis quæ per occaſionem tamen ſic obiter attingi debuerunt, quærit iterum frater quid Magiſter concludat ex hac parte quo propoſitam à ſe tam luculentam aſſertionem probet. Fuerit Gallicana conſuetudo à Romana differens eâ in re cuius nullum Decretum præceſſerat, vt ex Ambianenſis Epiſcopi dubio patet quod à Papa poſtulat reſoluendum : Ergo-ne mos baptiſmi varius in variis partibus extitiſſe aut exiſtere ſine abuſu potuiſſe

hinc eruitur, cuius tot tam expreſſa Decreta vniformem illius vſum ſtatuentia relata ſunt? Fuerit Gallicana conſuetudo inculpabilis & illius obſeruatio indifferens ad legitimum vſum non obſtante differentiâ ſui cum Romana, quia ſe tolerare illam aſſeruit Pontifex, & liberam vtendi eâ poteſtatem ſe concedere ſignificat: Ergo-ne ſimiliter conſuetudo extra Paſcha & Pentecoſten baptizandi poterit legitima & indifferens hinc probari, quam non Pontifex vnus tantùm ſed plures antedicti tam ſolennibus & ſeueris Edictis vſurpari prohibuerunt, intolerandam cenſuerunt, à ſe non tolerandam declararunt? Et antidotum vocet præpoſterus Pharmacopœus quod venenum eſt!

An ſecunda pars ad inſtitutum eius eius vtilior? quam è Stephano Tornacenſi Epiſcopo in epiſtola 104. deſumit, vbi ſic Pontificem Romanum alloquitur: *Antiquas Eccleſiarum conſuetudines quæ nec rationi nec legi obuiant, ſancta Romana Eccleſia aut approbare conſueuit aut non cenſuit improbare*. Imò, an eſſe poſſit inutilior, an

imprudenter magis vel ineptè omnino vſurpata ? Conſuetudines nec rationi obuiantes nec legi approbare conſueuiſſe Romana Eccleſia dicitur vel non conſueuiſſe improbare ſiue cenſere improbandas : Et hoc dicitur propter quendam Clericum Capellanum quem à Capella ſibi ſuiſque ſemper Deceſſoribus ab antiquo conceſsâ & hactenus inuiolatè conſeruatâ transferre in aliam ad officium celebrandum quidam æmuli ſategerant, in ea verò conſeruari prædictus Epiſcopus à Pontifice poſtulabat : Ergo-ne rurſus de baptiſmi ſolennis extra Paſcha & Pentecoſten vſu idem etiam dici poteſt, quem *irrationabilem nouitatem* tam indignanter vocat Leo, & quem Apoſtolicæ Traditioni ac præceptis Apoſtolicis tam contrarium ſignificat, præter alios iam notatos tres Pontifices qui & hoc ipſum inſinuant ? Idem-ne videtur antiquum vſum approbare quo fruebatur Capellanus, cuius exemplum exprimere Magiſter ſibi cauit, & approbare illegitimum vel fictitium vſum quem præſumit antiquum perpetuus anti-

quitatis deprauator, ſed Pontifices vt abuſum condemnant, ſicut ſuprà ?
Idem-ne (inquam) vtrumlibet videri poſſit, vt alterum inferas ex altero aut inferendum perſuadeas Magiſter ?

EPILOGVS OMNIVM PRÆDICTORVM.

TVA nempe ſint hæc antidota, quibus eorum cures infirmitatem præſumptitiam quos ægrotantes putas quia toxicis tuis vel erroribus non infectos! Quantò cautiùs dicti Euangelici memor tibi ipſi curando, malè feriate Medice, prouideres! Quantò æquiùs qui te aliorum κακοστόμαχα græco epithemate medicari oſtentas, multò magis neceſſarium tibi (vt græca græcis reponamus) ad medicandam κακοχυμίαν, κακοθυμίαν, κακοήθειαν, κακοδοξίαν, κακοκεισίαν tuam antidotum ac alexipharmacum comparares; & collyrio illo quod ſuggerit Apocalypſis inungeres oculos vt videres quæ in te paſſim curanda ſint ab iis quorum te vis videri curatorem!

Quantò potiùs tibi opus omnino eſſet ad egerendos purulentos mendaciorum vel errorum humores quibus latè abundas vndequaque, optimos illos quos indicas infirmitatis medicos conuenire quàm iis quos *anguſti pectoris* vocas ad concoquendas præſumptitias Traditiones tuas quæ veriùs Proditiones orthodoxi dogmatis dici poſſint.

Sic tamen inde triumphabundum ſe oſtentat & oſtentare geſtit, Lector, vt poſt omnia recenſita quæ ſufficere ad alexipharmacum ſuum parandum fingit, hoc demum ſibi epinicium concrepantibus buccis & quanto poteſt faſtu inflatis canat. *Qui modò ferre non poſſunt ſolenniores baptizandi dies illos omnes quos explicata repræſentat Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ Traditio, ſi fidei controuerſiam eſſe negent, capti ſunt; & Hieronymi, Auguſtini, Ferrandi, Gregorij, Fulberti, Anſelmi, Guiberti, Alexandri tertij & Romanæ Eccleſiæ authoritate conſtricti: Si verò affirment, nulli ſunt; quia explicatâ Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ Traditione victi, confoſſi, & diſrupti. Præterea, dicent-ne*

EPILOGVS OMNIVM PRÆDICTORVM.

QVA nempe ſint hæc antidota, quibus eorum cures infirmitatem præſumptitiam quos ægrotantes putas quia toxicis tuis vel erroribus non infectos! Quantò cautiùs dicti Euangelici memor tibi ipſi curando, malè feriate Medice, prouideres! Quantò æquiùs qui te aliorum κακοϛόμαχα græco epithemate medicari oſtentas, multò magis neceſſarium tibi (vt græca græcis reponamus) ad medicandam κακοχυμίαν, κακοθυμίαν, κακοήθειαν, κακοδοξίαν, κακοκεσίαν tuam antidotum ac alexipharmacum comparares; & collyrio illo quod ſuggerit Apocalypſis inungeres oculos vt videres quæ in te paſſim curanda ſint ab iis quorum te vis videri curatorem!

Quantò potiùs tibi opus omnino eſſet ad egerendos purulentos mendaciorum vel errorum humores quibus latè abundas vndequaque, optimos illos quos indicas infirmitatis medicos conuenire quàm iis quos *anguſti pectoris* vocas ad concoquendas præſumptitias Traditiones tuas quæ veriùs Proditiones orthodoxi dogmatis dici poſſint.

Sic tamen inde triumphabundum ſe oſtentat & oſtentare geſtit, Lector, vt poſt omnia recenſita quæ ſufficere ad alexipharmacum ſuum parandum fingit, hoc demum ſibi epinicium concrepantibus buccis & quanto poteſt faſtu inflatis canat. *Qui modò ferre non poſſunt ſolenniores baptizandi dies illos omnes quos explicata repræſentat Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ Traditio, ſi fidei controuerſiam eſſe negent, capti ſunt; & Hieronymi, Auguſtini, Ferrandi, Gregorij, Fulberti, Anſelmi, Guiberti, Alexandri tertij & Romanæ Eccleſiæ authoritate conſtricti: Si verò affirment, nulli ſunt; quia explicatâ Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ Traditione victi, confoſſi, & diſrupti. Præterea, dicent-ne*

mutatam eſſe fidem quia mutata eſt diſciplina illa vetus quæ Romanos & Romanorum morem ſequentes in Paſchate & Pentecoſte totos olim occupabat? Quid negaturi & quid affirmaturi ſint expectamus.

Dignam vtique tam inſigni tractatione coronidem qua non alia poſſit magis apta imponi vel conformis. Dignum triumpho tam ſuperbo epinicium! quò iactantius, audacius, faſtuoſius, inflatius, eò falſius, inanius, vanius, ineptius, vt factum ferè ad ludibrium videatur! Quòd Eccleſiæ Occidentalis vel etiam Orientalis Traditio præſumptitium vſum extra Paſcha & Pentecoſten baptizandi reipsâ repræſentet aut ſuperiùs repræſentarit, quid falſius? quod ſuo loco falſitatis apertæ conuicimus. Quòd vel ad fidem pertinere vel indifferens eſſe debeat ille vſus nec omnes paſſim ad obſeruandum vniformiter obligare, aut alioqui eo mutato fidem ipſam etiam immutari oportuerit, quid vanius vel inanius? quod quàm fruſtra inculcatum ſit vel imperitè cogitatum deinceps conuincemus. Quòd qui ad

fidem negant pertinere capti ſint & prædictis conſtricti, vel qui eius obſeruantiam vniformem affirmant, eum quoque de fide affirmare intelligantur, adeoque nulli ſint, quia victi, quia confoſſi, quia diſrupti, vt inflato & emphatico ſtylo vrget, quid ineptius? quod emotæ ac extaticæ mentis thraſonicum inſultum eſſe oſtendemus.

§. 1.

Vrgeat etiamnum non immeritò frater vnde Magiſter deſumpſerit quòd ea tantùm vniformiter ab omnibus obſeruanda ſint quæ ad fidem pertinent; ea verò quæ non pertinent, obſeruari variè poſſint pro arbitrio, vel ſic non obſeruari à quibuſdam ſicut & ab aliis indifferenter ſine vlla neceſſitate vel obligatione obſeruari: Aut vnde ſimiliter ſumpſerit quòd quæ ad vniformem ſui obſeruantiam obligare putantur, immutari non poſſint niſi fides etiam immutetur, ad quam ſcilicet ea præſumit pertinere. A ſuffocato & à ſanguine abſtinere pertinebat-ne ad fidem nec ne cùm Apoſtoli præceperunt? Orare ſtando

nec genua flectere vel in terram proſterni toto tempore Pentecoſtes, id eſt quinquaginta diebus à Paſchate vſque ad ſupradictam feſtiuitatem interjectis pertinebat-ne ad fidem nec-ne, cùm Synodus Nicæna ſic præſcripſit? Paſſionem Domini & reſurrectionem & in cœlum aſcenſionem & aduentum Spiritus-ſancti de cœlo anniuerſariâ ſolennitate celebrare pertinet-ne ad fidem nec-ne? aut pertinere intellexit cùm de celebritate illâ loquutus eſt Ianuario epiſtolâ 118. Auguſtinus? Quadrageſimam jeiunare pertinet-ne ad fidem nec-ne, aut pertinere Patres exiſtimarunt, cùm jeiunium eius commendarunt, ac ad illius accuratam obſeruantiam tam vehementer hortati ſunt? Minús ne tamen Apoſtoli abſtinentiam à ſuffocato & ſanguine repoſuerunt inter illa quæ obſeruatu *neceſſaria* cenſuerunt & ab omnibus obſeruari vniformiter definierunt, vt Act. 15. videre eſt? Minús-ne in Synodo Nicæna de genibus orando non flectendis per totum tempus Pentecoſtes dictum eſt Canone 20. quòd hæc *per omnes Ec-*

cleſias cuſtodienda conſuetudo eſſet, vel *in omnibus locis conſonanter* (id eſt vniformiter) *obſeruanda*; vel ſicut habet græcus textus ἐν πάσῃ παροικίᾳ, ſiue *in omni parœciâ*, cuius nomine olim Eccleſiæ quælibet vocabantur, etiam illæ quæ nunc dicuntur Diœceſes; quamuis ad præſens nihil refert. Minús ne Auguſtinus prædictam paſſionis & reſurrectionis & in cœlum aſcenſionis & aduentûs de cœlo Spiritus-ſancti celebritatem in eorum numero repoſuit quæ vel ab Apoſtolis vel ab Oecumenicis Conciliis tradita & ſtatuta per vniuerſam quacunque ſe diffundit Eccleſiam vniformiter obſeruantur? Minús-ne Baſilius Quadrageſimæ præconium per vniuerſum orbem terræ annuntiari dixit, & nullam eſſe gentem, nullam hominum quorumcunque conditionem, quæ præceptum illius non audiat, non cum gaudio ſuſcipiat, non ſe ad illud obligari agnoſcat?

Si ad fidem igitur non pertinet celebratio ipſa myſteriorum quæ alioqui præcipua fidei fundamenta per ſe ſunt & maximè omnium credi debent, vt

nec omnia celebrantur aut celebrata ſunt ſemper quæ maximè ad illam ſicut priùs intelliguntur pertinere; cùm nec ſacratiſſimi Corporis Chriſti nec ſanctiſſimæ Trinitatis ipſius Feſtum niſi poſt duodecim vel tredecim ſæcula celebrari ſingulariter inceperit; quibus ex principiis aut ſomniis Magiſter infert pertinere ad fidem oportere quæ communiter obſeruantur, vel ea tantùm ſic obſeruari oportere quæ pertinere abſolutè ad illam dici poſſint? An & meliùs infert mutatam fidem intelligi ab iis oportere qui generalem diſciplinam agnoſcunt aliquando fuiſſe quam Eccleſia nihilominus poſtliminiò mutauerit? Quaſi Apoſtolica fides aut Nicæna mutata dicenda ſit, quia deſiit obſeruari abſtinentia ſuffocati vt & ſanguinis quam Apoſtoli præceperant; vel quia obſeruari genuflexio per ipſum tempus Pentecoſtes incepit quam Synodus Nicæna vetuerat! Cur ergo generalem baptiſmi diſciplinam inferat non fuiſſe, quia mutato rerum ſtatu immutata eſt & propemodum obſoleta? quamuis & ſolennia eius in Officio

ficio vtriuſque Sabbati ſupradicti & in Canone Miſſæ ad vtrumque Sabbatum illud pertinente ſuperſint veſtigia quæ talem probent extitiſſe: Cur & pertinuiſſe illam ad fidem infert, ſi generalis fuit? nec aliter niſi ad fidem pertineret fuiſſe verè aut potuiſſe dici generalem? Sapientiùs Dilemmati cornuto ſuo membrum tertium addidiſſet, vt ea diſtingueret in tres ordines quæ duobus concluſit; nec ſub iis quæ ad fidei controuerſiam non pertinent intelligeret illa tantùm quæ obſeruari diuerſimodè poſſunt, ſed & illa quæ vniformi ritu obſeruantur quamdiu ſaltem cauſa remanet vniformis.

§. 2.

Inſultet modò iis quos diſciplinam illam reuocare ad fidem ſomniauit Magiſter: Aëreo gladio vel fumeo in vmbras verè dimicabit; cùm nullos poſſit ſic ſentientes inuenire quos legitimè aggrediatur oppugnandos: Dicat inſultabundè quòd victi & confoſſi & diſrupti ſunt, ac proinde ſunt nulli (vt loquitur) quaſi annihilatos velit; & Eccleſiæ quidem Orientalis

Traditione ſic diſruptos, confoſſos, victos dicat: Victorem in ſomnio ſe talem exhibebit quales depictos tantùm in tabella quidam veterum irridebat; cùm nihil tale Orientalem Traditionem continere tam euidenter priùs oſtenſum ſit, & nullos eſſe qui hoc ad fidem pertinere affirment: Bene ais Magiſter quòd nulli ſunt & veriori ſenſu quàm tu putes: Nulli omnino, nulli; & aliqui ſi eſſent, non ideo diſruptos vel confoſſos vel victos tua illa Orientalis Traditio probare planè poſſet, quam *nullam* verè multò juſtiùs appellares.

Inſultet quoque iis qui fidei controuerſiam negant eſſe diſciplinam hanc, id eſt ad fidem pertinere: Dicat inſultabundè rurſus quòd capti ſunt; nec propheticum illud in ſe reflecti vereatur, *Erunt capientes qui ſe ceperant*; vt ab illis quos captos fingit veriſſimè ſe captum ingemiſcat: A Hieronymo, Auguſtino, Ferrando, Gregorio, Fulberto, Anſelmo, Guiberto, Alexandro tertio, & à Romana ipſa Eccleſia conſtrictos ingeminet: Fumeum ſtamen eſſe iam ſigillatim con-

uicimus, cùm illas omnes authoritates nihil ad præſens pertinere demonſtrauimus euidenter, ſed ad locales tantùm conſuetudines quæ generali diſciplinæ non officiant, qualem baptiſmi ſolenniter adminiſtrandi agnitam ſemper & habitam fuiſſe ſupradicta omnia plenè probant.

Expectet quid affirment quid negent quos facilè vtrauis parte debellaturum ſe confidit: Nos quoque quid exponat vt ſe victum, confoſſum, nullum fateri nolit, expectemus. Ego præſertim ipſe à Magiſtro expecto frater quid ad ea reſarcienda conglomeret quæ deprauaſſe illum quæ detorſiſſe quæ truncaſſe quæ confudiſſe indicaui; quamuis expectem fruſtra vt dicere aliud poſſit quàm quo magis ac magis implicetur; aut iam ſæpiùs refutata reſumat, vt eludat ſi poteſt ſe conuictum fuiſſe, aut ſic ſuis illudat qui vel victo millies vt victori applaudunt.

§. 3.

Num interim ridere illius eluſiones, illuſiones, colluſiones licet? quas iam diſtinctè ſuis locis cùm occurre-

runt exhibui; nec modò rurſus exhibere opus eſt, niſi quas nondum exhibitas ad Opuſculi ſui calcem cum prioribus ad faſtidium & nauſeam reſumptis, reſeruauit. Num illud nempe? *Quia diuerſæ in baptizandi temporibus conſuetudines dictatori noſtro diſplicent, in Romanam ipſam inuadat Eccleſiam, quæ paſſa eſt vt Gallicana aliam à ſe Pſalterij tranſlationem (quod eſt ni fallor quid momenti majoris) ſequeretur, adamaret, cuicunque alij præferret:* Quidni enim ridendum, quòd majoris momenti dicat vſum quem velut à ſe indifferentem exiſtimatum Eccleſia Romana in Galliis paſſa eſt adhiberi quàm vſum quem omnibus omnino Eccleſiis velut illegitimum interdixit? Bene ſaltem eſt quod adjicit, *ni fallor*, ne timendum ſit nobis abſolutè dicere quòd fallatur. Num & ridendum illud? *O Beda venerabilis, anáthema tibi dicet frater quòd rem iſtam præfatione in Pſalterium ſic notaueris. Sciendum Pſalterij tranſlationes eſſe duas apud Latinos in vſu atque honore, Romanam ſcilicet & Gallicam. Romana eſt qua vtuntur Romani & plerique*

Italici, quæ de græco in latinum à Symmacho & Aquila ſumpta eſt ſecundùm 70. *Interpretes Ptolomæi Regis : Gallica verò eſt qua præcipuè Galli vtuntur : Hæc autem præcipuè ſumpta eſt rogatu Damaſi Papæ à beato Hieronymo de hebræo in latinum ad intentionem : Fecerat enim Hieronymus priùs aliam tranſlationem ſimiliter de hebræo ſumptam ad literam ; verbum ſcilicet ex verbo transferens ſimpliciter, quæ parum perfecta erat linguæ diſparitate. Sunt autem factæ apud Latinos plures aliæ tranſlationes quarum nulla eſt in vſu.* Annon rurſus ridendum planè, vt anáthema Bedæ dicat frater quòd non eandem in Eccleſia Gallicana tranſlationem Pſalterij ac in Romana vſurpari dixerit Beda, quia baptiſmi ſolenniter adminiſtrandi ritum eundem in Romanâ & Gallicanâ obſeruatum defendit frater ille Magiſtro tam repugnans? Ridendum, inquam, quòd Magiſter in miſellulum fratrem tam atrociter inuehatur, quia non idem putat vſurpaſſe tranſlationem quæ in honore quoque apud Latinos erat ſicut altera, & baptiſmi ſolennis ritum quem non honori ſed

horrori potiùs Pontifices declarauerunt ſibi eſſe? Non ergo Beda venerabilis à fratre ſibi anáthema timeat, cui venerationem præcipuam deberi ſentit frater: Sed an Magiſter minùs venerabilis quàm Beda tale quiddam timere aliunde ob ſacros vſus deprauatos debeat, quæri poſſet.

§. 4.

Nec tam ridenda tamen iſta propter ſyllogizandi modum tam obtuſum quàm propter tam peruerſum abuſum dolenda ſunt, & planè digna quibus cordatus quiſque indignetur. Sint ſolo digna riſu, quamuis & malitiæ multæ admixta ſed obtuſæ, quæ in me tantùm vibrat. Sit riſu digna querimonia illa qua me accuſat vehementer ob opuſculum eius *tenebricoſum* appellatum; quod non aliter vult vocari tenebricoſum poſſe niſi quia ſcilicet illud *in priuatum dumtaxat vſum ſuum compoſuerat & me conſcium eius velut arcana rei & occultæ fecerat*, vt pro ſuo candore conſueto mendaciſſimè addit; cùm nec ab illo ſcriptum ſcirem nec eius mentionem niſi publicè ſicut initio monui primâ vice audiſſem, ac

ignotum & anonymum ſuſpicarer: Sic autem fingit, vt ridiculæ (ne plus dicam) Ethicæ ſuæ ac morali conqueſtioni locum faciat quòd *ſic in iis me geſſerim quæ fidei meæ remotis arbitris & ſecretò commiſſa ſunt :* Quaſi neſciat nullam fidem ſecreti vel exigi ab vllo poſſe vel ſeruari debere cùm res in perniciem & præſertim publicam vergunt ; ſed ea tunc detegi laudabiliter poſſe ac omnino propter vtilitatem oportere quæ manifeſto cum crimine ac periculo tegerentur ; quantumuis verum eſſet me detexiſſe quod vt ſecretum ſe commiſiſſe falsò dicit ; Ac propterea exprobrare non poſſit injuſtiùs quòd *plus apud me* (ſicut ænigmaticè rurſus loquitur) εἰκαιομυθία quàm ἐχεμυθία, id eſt inanis loquacitas & garrulitas quàm ſilentium tenax, *valuiſſet;* ſic ſua nempe mihi aſcribens, cui εἰκαιομυθία tam propriè conuenit, ſed meliùs & vtiliùs ἐχεμυθία conueniret. Sit riſu dignum quòd meritò *tenebricoſum* illius Opuſculum non potuerim appellare, quia nimirum illud *Orientalis , Africana , Hiſpanienſis , Gallicana , Anglicana, Hiberna*

illuſtrat Eccleſia; quia *patrata Ebreduni & Carthagine miracula confirmant*; quia etiam *Hieronymus & Auguſtinus & Ferrandus & Gregorius primus & Fulbertus & Anſelmus & Guibertus & Alexander tertius* (*qui & quales viri*) *& Romana ipſa apud Stephanum Tornacenſem Eccleſia in tuto collocant & ab impreſſione & omni Bellerophontæarum ſolicitudinum impetu defendunt*: Quàm id omnino riſu dignum ea oſtendunt vniuerſa quæ ſuperiùs de prædictis omnibus notata ſunt quibus hoc Opuſculum illuſtrari & confirmari & in tuto locari & à Bellerophontæarum ſolicitudinum impetu defendi ſibi fingit: Riſumque auget quòd ita loquens non intelligit quàm inſigni nomine Opuſculum illuſtret ſuum dum Chimæræ comparat quæ à Bellerophonte in ſymbolum conſultiſſimi viri dicitur interfecta, cùm alioqui *ore foras efflans acrem de corpore flammam* obuia quæque deuaſtaret: Nec immeritò planè, quia conſultiſſimus quiſque de Opuſculo illo & ſimilibus cùm expendere accuratiùs volet ſic cenſebit.

Poſtremò (inquit) *inclemens frater & dictator incurſionem ſuam ſic abſoluit,* quàm authenticè ! *Ita ne verò*, quàm authenticè ? *Hoc explicata docet Eccleſiæ Traditio : Hoc apertam in lucem & authoritatem produnt Ebredunenſe lauacrum & Eugenius Carthaginenſis Epiſcopus & Martyr confirmantibus ſignis : Verbo dicam vno*, quàm authenticè ! *exclamatio eſt erroris & eccleſiaſticæ ἀνισορησίας pleniſſima & autore ſuo digniſſima. Hìc ſiſto & finio vſque dum frater hæc niſi concoxerit deuorauerit.* Suppeditare nunquam deſinet quod ridere poſſimus. Dixi ego, cùm inculcatum à prædicto illius theſis defenſore tractatum anonymum per ironiam illuderem, quàm authenticè inde ſe probare putaret quod publicis & clariſſimis Pontificum Decretis euidenter conſtaret aduerſari; nec ille quidquam præter tam authenticum Anonymum in oppoſitum reponebat : Cur ergo non dicerem, *quàm authenticè !* Quid enimuerò ad probandum quòd authenticè dici poſſit, vrgere rurſus juuat iam exploſam toties fictitiam Traditionem, Ebredunenſis bapti-

ſterij miraculum præſumptitium, Eugenij Carthaginenſis factum ad rem præſentem impertinens, vt ſuis locis oſtendimus ?: Reuoluat Lector quiſque cordatus, & videat vtra iam vel erroris vel ἀνισορησίας pleniſſima exclamatio dici debeat ac proinde authore ſuo digniſſima, fratris ne an Magiſtri; & vter hiſtoriam huc pertinentem oculatiùs inſpexerit, accuratiùs expenderit, aut ſinceriùs & fideliùs retulerit. Hinc intelligit vtri etiam noſtrûm congruentiùs aptandum ſit quod concludere de me ſuo more dignatur terrificis vocibus græcis ad majorem emphaſim συκοφαντεῖν, vel βατταλογίζειν, vel βεργαΐζειν, *& præterea nihil*; cùm toties hactenus eum συκοφαντοῦντα id eſt falſa dicentem, βατταλογίζοντα id eſt nugatoriè garrientem, βεργαΐζοντα id eſt (quod nobis in confictâ & ludibundâ voce diuinandum relinquit) ioculantem, ineptientem, euagantem à propoſito conuicerim.

§. 5.

Hærere in aliis quibuſdam ſuperfluum exiſtimaui & inane; quia directè ſaltem nihil ad inſtitutum per-

tinebant; nihil aſſertioni vlli meæ ac theſi vel probandæ proderant vel oberant etiam improbandæ; nihil ad aliorum probationum robur ac momentum addebant; nec eorum Authorum erant quorum authoritate valde niti, quorum hallucinationem & abuſum defendi valde oporteret.

Victorem primum à Burchardo citatum prætermiſi, quia ex illo nihil maius ad firmitatem veritatis peti poterat quàm quod ex antedictis Pontificibus quorum indubitatæ authoritates erant ad illius aſſertionem deſumptum eſt; ne tot notationes otioſas quibus ad Scriptum eius abrogandum tres & vlteriùs paginas occupauit Magiſter, otiosè non minùs expenderem.

Belethum prætermiſi, quem ſpontaneâ Chronologiâ ſuâ æqualem id eſt coætaneum Petro Lombardo noſter Anticriticus facit; quia non plus fidei mereatur cùm ait quòd in Epiphania baptizare ſolebant Græci quàm Rupertus iam priùs à me ſpecialiter ſuo loco diſcuſſus, cuius fortè notatione deceptus eſt: Nec malè notat Anti-

criticus ipſe dicere debuiſſe Belethum, *Solent Græci*, neſciens quonam ſenſu verè dicere debuiſſet; præſertim ſi Belethus ex Poſſeuino annis ferè ducentis poſterior Lombardo fuit; quia nonniſi eo demum tempore aut circiter abuſus ille incepiſſe videri poſſit apud Græcos; cùm eius ex profeſſo non meminerit ſanctus Thomas, quamuis baptiſmi ſolenniter adminiſtrandi tempus tam expreſsè deſignet.

Prætermiſi Durandum ex quo rurſus Anticriticus refert quòd *quidam heretici dixerunt ſolùm in die Epiphaniæ baptizari debere pro eo quòd Chriſtus tunc fuit baptizatus, nec dari Spiritumſanctum baptizato aliâ die; ob quam hæreſim extirpandam ſancti Patres decreuerunt neminem niſi in articulo neceſſitatis eadem die baptizari debere*: Prætermiſi Durandum, inquam; quia non tanti erat an in hæreſi aſſignandâ deceptus eſſe videatur cui ex iniuria ſui temporis non adeo peruia eſſe antiquitatis monumenta ſinceriora potuerunt; nec alioqui qualiſcunque illius deceptio ad improbandam veri-

tatem tam euidenter aliunde compertam conferebat: Ac eam quidem tam futilibus argumentis Anticriticus explodere ſatagit vt nec digna commemoratu videantur: *Hoc exponere* (inquit) *eſt primùm oſtendere Durandum ex monumentis quibuſdam falſis vel ex incertis rumoribus deceptum eſſe; niſi forſan quod Leo primus ſcribit ad Epiſcopos Siciliæ perperàm intellexerit, & ex Leonis verbis perperàm intellectis hæreſim contra Pontificis illius mentem conflauerit:* Annon futile planè iſtud? Quomodo enim illam hæreſim quæ in Epiphania ſolùm baptizari debere dixit, vt ſupponitur quomodolibet, nec in alia die baptizato Spiritum-ſanctum dari, ex malè intellectis Leonis verbis deſumpſiſſet? cùm tam expreſsè dicat Leo, vt ex prædictis patet, eos quos reprehendit numeroſiùs quidem ipſo Epiphaniæ die ſed in Paſchate nihilominus baptizare? an baptizare verò, ſi crederent Spiritum-ſanctum ei non dari quem in Paſchate baptizarent? Sed vndecunque contigerit hæc deceptio nihil moror. Pergit Anticriticus: *Deinde hoc exponere eſt*

ipſamet expoſitione confutare : Nam de tali hæreſi penitus ſilent Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, Philaſtrius, Auguſtinus, Theodoretus, Higinus, & cæteri qui quondam vel contra hæreticos & hæreſes ſcripſerunt, vel diuerſarum quæ præceſſerant hæreſum Catalogos texuerunt. Annon futile rurſum iſtud? Quaſi poſt omnes illos quos commemorat non emerſerit ille ipſe abuſus ex quo confictam hanc hæreſim ſuſpicabatur paulò ſuprà; cùm ſanctus Leo qui poſterior illis fuit appellet *nouitatem*; vt mirum non ſit ſi nullam eius prorſus fecerint mentionem. *Tum demum* (inquit) *nulla eſt Synodus quæ talis hæreſeos meminerit; tantum abeſt vt eam perculerit & dogmatiſtis anáthema dixerit:* Quidni futile adhuc iſtud? Quaſi nulla hæreſis aliquando niſi Synodi congregatione damnata ſit, vt ad Bonifacium Papam ſcribens loquitur Auguſtinus. Poſteros ac modernos auſpicatiùs annotaſſet qui mentionem eius inter multas alias de baptiſmo hæreſes ex profeſſo commemoratas non fecerunt. Sed, vt præmiſi, hanc Durandi deceptionem nihil moror,

nec puto illam ad inſtitutum pertinere quia quantumuis malè putauerit hæreſim quæ non fuit aut ſupponitur non fuiſſe, putauit bene tamen id à ſanctis Patribus & præſertim Pontificibus conſtitutum vt in Paſchate tantùm ac Pentecoſte non in Epiphania ſolennior baptiſmus conferretur.

Mittamus ergo ſuperflua, Magiſter; & in iis dumtaxat hæreamus quæ ſuperiùs diſcuſſa ſunt, quæ ad momentum rei quam verſamus neceſſaria, & nunc ſummatim vt ſub vno aſpectu expreſſiùs pateant reſumenda: Nimirum quòd baptiſmum in Paſcha tantùm ac Pentecoſte ſolenniter adminiſtrandum Siricius, Leo, & Gelaſius præſcripſerunt, ac in Epiphania nominatim vel in alio die adminiſtrari ſub grauiſſimis pœnis vetuerunt, niſi adminiſtrari neceſſitas extrema poſtularet: Quòd Gregorius primus non aliud ordinarium ac legitimum tempus agnouit, aut excepta neceſſitate approbauit: Quòd ſic etiam obſeruari mandauit Gregorius ſecundus ac expreſsè Bonifacio ad Germaniæ conuerſionem proficiſcenti vt obſeruaret

obſeruandumque procuraret injunxit: Quòd in ipſa Orientali Eccleſia ſic obſeruatum olim Græci Patres agnoſcunt; nec aduerſum aut contrarium quidquam Gregorius Nazianzenus inſinuat; ac multò minùs Chryſoſtomus, qui ſolùm duo illa tempora vſitata fuiſſe ſignificat nec vllam facit Epiphaniæ pro baptiſmo adminiſtrando mentionem: Quòd Eccleſia Occidentalis multò euidentiùs Orientali eum vſum vbique velut ordinarium ac legitimum obſeruauit, & quicquid præter ſummam neceſſitatem factum aliter eſſet velut abuſum condemnauit, proſcripſit, emendauit: Quòd Africana, Germanica, Hiſpanienſis, Anglicana, ſed præcipuè Gallicana ſic intellexit faciendum cùm neceſſitas non vrgebat, & in Synodis quoque ſuis generaliter decernendum: Quòd quæ in contrarium opponuntur, vel fictitia & falſa ſunt, vel imminentem neceſſitatem non conſuetudinem, vel abuſum non vſum legitimum & approbatum ſignificant. Hinc verò ex eorum diſcuſſione ſuperiùs digeſtâ colligendum an concoxerit ſatis frater

quod ei concoquendum vel deuorandum ingerere Magiſter ſe dicebat ſi concoquere non valeret. Viderit nunc Magiſter an quæ viciſſim ei regerit frater ſic facile concoquat ne cogatur etiam cum ſtomachi commotione deuorare; ac vt illius voce vtar, *baubari*, non ampliùs.

FINIS.

Errata.

IN Præfat. pag. 2. l. 5. malcautæ pro malecautæ vt & malcautus pro malecautus. p. 3. l. 27. Præmio, lege Procemio. p. 13. l. 25. incidit pro incidet p. 15. l. 11. ſicut pro ſiue. p. 17. l. 10. eas pro eøs p. 27. l. 18. fieri lege ferri. p. 28. l. 5. authcri:ate pro authoritati. p. 33. l. 5. poterant pro poterunt. p. 34 l. 8. omeſiſſent, pro omiſiſſent. p. 44. l. 23. deſiſſent pro deſijſſent. pag. 48. l 22. aptiſmi b pro baptiſmi. p 66. l. 6. ſeruet pro ſeruat.

DE
BAPTISMI
ANTIQVO VSV
AB ECCLESIA COMPROBATO
DISSERTATIO POSTERIOR

F. IOANNIS NICOLAI Ordinis Prædicatorum Doctoris Theologi Pariſienſis contra Pſeudocriticas nouitates:

Scilicet de Iudæis aut quibuſcunque Infidelibus ad baptiſmum ſuſcipiendum non cogendis.

PARISIIS,
Apud IOANNEM COVTEROT; viâ Iacobæâ, ſub ſigno paruuli Ieſu.

M. DC. LXVII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

PRÆFATIO.

EST hæc etiam eorum pars quæ ſibi à me in Pantheologia Rayneriana exprobrari tam vehementer indignatur & tam impatienter ac moleſtè fert Launoïus; proptereaque totos in me lacertos exerere, totas laxare fibras, totum furorem acuere, totam ſpuere bilem pergit. Scilicet poſt conuictam illius in torquendo, adulterando, mutilando Epiphanij teſtimonio pro jeiunio Quadrageſimæ malam fidem qualem conuinci materia ſubiecta ex profeſſo poſcebat, addideram ex abundanti quòd eâdem id fide præſtitiſſet quâ *contra*

vniformem eccleſiaſticarum & ciuilium hiſtoriarum traditionem infideles ad fidem cogi olim in Gallia ſolere promulgauit. Subinde in margine illius textûs è regione adjeceram traditionem iſtam eccleſiaſticarum & ciuilium hiſtoriarum *inſinuatam Tit. de baptiſmo, vbi & illud quod ex Carolo-Magno videbatur objici poſſe quoad vim Saxonibus illatam ſolutum eſt:* Intellexeram porrò titulum illum de Baptiſmo quem Pantheologia ipſa Rayneriana per ſeriem Alphabeticam ſuo loco digeſſit ac tractauit; cùm ibi planè de baptiſmo Infidelium per appendicem agens, objectionem ex Caroli exemplo ſumptam vt inanem & falſam exploſerim, qualem deinceps in hac tractatione demonſtrabo: Ille, vt in legendo præceps vel obtuſus eſt, ac in intelligendis quæ maximè ad verita-

tem ſpectant vel ſponte cœcus vel quantumlibet nolit hebes, videre ſibi per hanc mentis vel oculorum hebetudinem tam obtuſam viſus eſt intellectum ac indicatum à me titulum de Baptiſmo inter Titulos Decretales libro 3. comprehenſum; quaſi & ibi de Caroli exemplo agi vellem: Et quod in eo ſatis mirari nemo poſſit niſi conſuetum eſſet, ea tantùm retulit ex prædicta notatione meâ marginali quę ad paginæ finem eius oculis occurrerunt, quantumuis imperfectam conſtructionem facientia; nec folium vertere vt cætera legeret cogitauit: Indeque ſic nugatur in aſſumento quod ſubjungit vt non tam illudere Lectori ſicut ſolet quàm illudendum exhibere ſeipſum videatur. *Vt uniformem* (inquit) *eccleſiaſticarum ciuilium-que hiſtoriarum traditionem confirmet*

frater, margini aſcribit verba hæc, Inſinuatam tit. de baptiſmo vbi & illud quòd ex Carolo Magno videbatur objici: Nec ad vlteriora pergens mox exclamat: *Itane verò? tantum ἀναισχυντίας; tantum confidentiæ? Quæ Thraſo alter ſomnia ſibi fingit, hæc tanquam oracula non dubitat nobis obtrudere: Titulus de baptiſmo in cap. 7. explicatus eſt.*

Habes in his tam paucis verbis, Lector, quod vel mireris ad ſtuporem, cùm expenderis, vel effusè rideas ad cachinnum. Vah! tantas in Cenſore nugacitates! tantam hebetudinem in Magiſtro! tantas in viro per omnia verſatiſſimo vertiginoſas viſiones! tantam in tam inſigni Criticorum Principe ἀκρισίαν! aut (vt latinè pergam) tantum iudicij defectum, oculorum faſcinum, deliquium cerebri! Vt Pantheologiæ Raynerianæ meæ titulum de

de baptiſmo inſcriptum in titulum Decretalium commutarit, quæ oculorum obtuſior faſcinatio? Vt in eo titulo Decretali putaret à me indicatum quod in titulo Rayneriano ſupradicto quærendum tam apertè notaram, quæ abalienatio mentis euagantior? Vt inde tamen tam ineptè contra me inſultandi occaſionem arripuerit, quæ commotior turbatio cerebri, niſi defectionem ac deliquium dicam, & plus aliquid poſſim! Quàm longè mihi occaſio iuſtior ad manum eſt in eum retorquendi! *Tantum-ne* ἀναισχυντίας, ἀναιδείας, ἀναισθησίας, ἀλαοσκοπίας, ἀκεισίας, vt ad exemplum eius terribiliter græcè loquar! *Tantum-ne audaciæ, confidentiæ, inuerecundæ mentis, obtuſionis, carentiæ ſenſuum, cæcitatis, defectionis judicij?* Vter ſomnia ſibi fingit? Frater-ne, an Magiſter?

Frater, qui verè in Titulo Rayneriano de baptiſmo Traditionem de Iudæis aut quibuſlibet Infidelibus baptizandis antiquam explicauit, ac ibi explicatam in Titulo Rayneriano de Ieiunio recenſuit? Magiſter, qui titulum Gregorianum Decretalium ſubnotari à Fratre ſomniauit vigilans, ac eundem proinde quem capite ſeptimo vel ridendi vel miſerandi Opuſculi quod expendendum aggredior ſe dicit explicaſſe, ne ſemel tantùm in hac vna notatione videri poſſit ineptiens. Thraſo-ne Frater? qui conficta ſomnia tanquam oracula obtrudat, cùm ſincera producit & aperta quæ falſitatis à Magiſtro conuinci nunquam poſſint? Annon Magiſter ipſe Thraſo vel ſomniorum quaſi oraculorum oſtentator? qui ſic mirabiliter vel miſerabiliter ſomniarit,

cùm perſuaſit ſibi quæ nemo ſui compos nemo ſapiens cogitaret? meaque ſic peruia, ſic plana, ſic aperta, tam dormitanter legit, vel tam obtusè intellexit, vel ſe intelligere vt illuderet finxit? Hinc diſce, Lector, quam ei fidem in abſtruſis debeas qui ſic in manifeſtis aut illuditur aut illudit; quantumuis thraſonicâ inflatione quiduis aliud jactet, ſuiſque malecautis aſſeclis perſuadere identidem conetur quantum poteſt.

Num Thraſonicum planè illud & ridiculum quod mox de me ſubjungit ac ſeipſo? *In tanta* (inquit) *audacia penè abfuit quin exceperit me vt beatum Athanaſium* Quàm latinâ elegantiâ, *penè abfuit*. *Iulianus Imperator excepit in epiſtola 6. ad Ecdicium Ægypti Præfectum*; Cùm ſic nempe loquitur Iulianus: *In tuis factis nullum libentiùs videro, imò audiero, quàm Atha-*

naſium illum ſceleſtum ex omnibus Ægypti locis pulſum eſſe, qui auſus eſt in meo regno fœminas Græcorum illuſtres ad baptiſmum impellere. Quid illa Iuliani exprobratio & quid Athanaſij factum à Iuliano ſic exprobratum præ ſe ferat, aut quàm impertinenter & ineptè ad inſtitutum ſuum conſarcinator præpoſterus applicet, in progreſſu tractationis expendetur: Nunc admirari tantùm juuat quàm thraſonico faſtu cum B. Athanaſio ſe comparet qui iam alibi per aliam occaſionem ſe cum ſancto Carolo Borromæo non minùs ridiculâ fatuitate comparauit, ne de illius beatitate ac ſanctitate dubitemus. Me-ne interim verò ex tam deſpecto fratre (qualem inculcat paſſim) Imperatorem tam ſubitò fecerit, vt viciſſim Athanaſius crederetur? non valde curans an me Impera-

torem dicat, vt apoſtatam ſignificet, qui ab illius nempe tam ſincerâ tam orthodoxâ & tam piâ doctrinâ defecerim: Nec intelligens me potiùs ab eâ ironicè ſic nuncupatâ, ne Apoſtata Religionis quam peruertit aut veritatis quam adulterat fiam, defeciſſe: Quamuis nec defeciſſe dici velim, qui nunquam ei putauerim aſſentiendum, ſed exoſam omnino habuerim ſemper, & ab omnibus pari odio chriſtiano exploſam vehementer optarim.

Pergat modò dicere quod his verbis concludit ad comicum inſtructis apparatum. *Vt verè dicam, afficit me pudor ſummus ille quo Frater propter objectionem adeo arrogantem & ineruditam juxtà ſuffundi debet. Homo prorſus eſt quem inexplicabilis vanitas & φιλαυτία in laqueos etiam inexplicabiles incidere ſæpenumero cogit.* Quidni ridebit

Frater ſic pudore affectum, alieno, & fictitio quidem ac per nocturnum viſum propter cauſam turbatâ phantaſiâ imaginatam ſomniato; qui (vt etiam verè dicam) ſuo ipſius tam proprio pudore propter obtuſionem iam notatam & tot alias paſſim abſurditates nũquam affici ſatis poſſit, niſi iam dudum omnem excuſſiſſet? Quidni ab eo ſibi vanitatẽ & φιλαυτίαν exprobratam ridebit rurſus Frater & in illius faſtum ridiculum regeret qui ſe ſub alienâ ementitâ perſonâ cùm de facie notus non eſt obuiis quibuſcunque commendat; qui ſuorum Opuſculorum emptionem cum inſignibus elogiis impenſiſſimè ſuadet ac Typographum expreſſiſſimè inſinuat; qui Criticorum princeps, quamuis abſurdiſſimè, dici geſtit, & ſibi repugnantes pro pecoribus habet ac piſtrino

addicit vt aſinos; qui Bellarminis, qui Petroniis, qui Colloquij Piſſiacenſis Actoribus, nimirum ſex numero Cardinalibus, aliiſque Prælatis quadraginta; & ſimul viris præ inſigni doctrinâ commendatis, vt inconſultis tamen & ignaris inſultat; qui veteri magiſterio ſicut loquitur prępeditos veluti veritatis à ſeipſo detectę incapaces explodit; qui nec Summis Pontificibus parcit quin eos vel non ſatis intelligentes & peritos vel parum cautos & prudentes vel ἀδύνατα ſicut loquitur ſeu impoſſibilia decernentes nec diſcernentes exhibeat; qui ſanctos ipſos Auguſtinum & Thomam & alios quoſcunque occurrentes pene nihili facit, aut in multis deſpicit, ac eorum ratiocinationes vt inanes ac inutiles carpit; ſuumque illis licèt ineptiſſimum ſenſum præfert. Non

eſt hæc φιλαυτία, Magiſter? non vanitas? niſi potiùs fatuitas & inſania non ferenda? Quid vnquam tale Frater vt inexplicabilis φιλαυτίας vel vanitatis à Magiſtro tam nugaciter arguatur? Non ob aliud planè quàm quòd Magiſtro ipſi tam erudito tam ſagaci tam ſupra omnes doctos cum cenſoriâ virgâ eminenti non eſt veritus repugnare, nec eius fictitio principatui literario ſe ſubjecit. An propterea in laqueos (vt vult Magiſter) inexplicabiles incidat ſæpè vel inciderit modò Frater quibus irretiatur à Magiſtro; & non potiùs ferat ſecum quibus Magiſtrum ipſum ſtringat ne quâ expedire ſe parte poſſit; an propter arrogantem adeo & adeo ineruditam objectionem tam humili, modeſto, ſapienti Magiſtro factam in tam ſeueram eius correctionem in-

curreriт; an quid ſit aut quid ferat eccleſiaſticarum vel ciuilium hiſtoriarum traditio ignorauerit hac in parte vel ſibi notam diſſimularit hinc imperitus Frater hinc malignus (vt pręmiſerat oſtentabundus obtrectator) oſtendet ſubjungenda deinceps tractatio ; in qua patebit ſicut priùs vel quàm obtusè legat vel quàm infeliciter intelligat vel quàm obliquè detorqueat vel quàm referat fraudulenter vel quàm fœdè mutilet audacterque peruertat & corrumpat quę tam comperta ſibi & nota eſſe gloriatur.

Tametſi porrò de Gallicano vſu nominatim diſceptatio illa ſuſcepta eſt nec de alio in pręmiſſis ex Pantheologia Rayneriana verbis agebatur expreſsè, vt ſit plenior tamen argumenti totius tractatio, quis aliarum quoque

nonnullarum partium vſus fuerit vel non, quis Eccleſię ſenſus & mens, quæ cauſa vel ratio hunc vſum apud quoſdam & in quibuſdam locis introductum velut abuſum improbandi ac abrogandi, adjungemus.

PRIMA
PROPOSITIO

Iudæos aut quoſlibet alios infideles ad fidem amplectendam vel baptiſmum ſuſcipiendum vi adhibitâ compellere nunquam Galliæ vſus vel conſuetudo fuit.

NE tricandi occaſionem ex hac ipſa inſcriptione arripiat vt ſolet Launoïus, & in conſuetudinem ac vſum vertat quod ſemel fortè vel bis factum videri poſſit ſi reipsâ conſtaret factum eſſe, aut factum ipſum inconſultum pro legitimi moris argumento aſſumat, præcidenda ei eſt in iſtius Tractationis primo ingreſſu ac limine tam craſſæ ac inanis fraudulentiæ radix; & ipſum vsûs vel conſuetudinis vel

moris nomen ex quo tota quæſtio pendet, non explicandum quidem quia ſeipſo ſatis manifeſtum, ſed in oculos eius cum ipſa ſua notione ad omnem ei cauſam contentionis præripiendam ingerendum. Sit ergo vſus qui plurium factorum congerie continuatâ conſtat: Sit mos qui diuturno vtentium conſenſu comprobatur: Sit & conſuetudo quæ deducitur ex moribus ac in communem vſum generalemque traducitur. Sic enim Iſidorus lib. 2. etymologiarum vel originum & ſimiliter libro 5. *Mos eſt vetuſtate probata conſuetudo*; ſicut *conſuetudo eſt quoddam jus moribus conſtitutum*; *vocata autem conſuetudo, quia in communi eſt vſu*: Nec aliter de more vel de conſuetudine vel de vſu in propoſito Iura ſeu canonica ſeu ciuilia loqui ſolent. Ex hac vtiq; notione veterē ſuū de Iudæis aut quibuſlibet Infidelibus ad baptiſmum cogendis morem probet ſi poteſt Launoïus, vt in Gallia cogi eos conſueuiſſe pro ſolitâ ſagacitate ſolertiâq; ſuâ ſic inferat (logicaliter valde) *Mos eſt vetuſtate probata conſuetudo*; diciturque *conſuetudo quia in communi*

eſt vſu: Sed in Gallia ſolus Chilpericus Rex (cuius exemplum ſolum affert) Iudæos baptizari præcepit apud Sueſſiones vbi fixerat ſedem regni: Ergo communis & receptus & continuus mos in Gallia fuit vt Iudæi vel infideles ad baptiſmum ſuſcipiendum cogerentur. Quid ſi nos qui ſubtiles adeo acutique non ſumus, concludendum potiùs ex eadem notione putemus in hunc modum, ſaluâ reuerentiâ tam acuti ſubtiliſque Magiſtri: *Mos eſt vetuſtate probata conſuetudo*, diciturque *conſuetudo quia in communi eſt vſu*: Sed communis aut vetus aut probatus Galliæ vſus nunquam fuit vt ad baptiſmum cogerentur Iudæi vel alij quilibet Infideles; nec factum vel exemplum aliquod ſingulare (qualecunque ſit aut ſupponatur eſſe) vſum communem facit; vt nec multis poſt fidem in Gallia receptam annis longoque potiſſimùm poſt Chriſtiani Regni principia temporis tractu ſuperueniens veterem vſum infert, niſi Launoianè ſeu præpoſterè concludendo: Ergo Iudæos ad baptiſmum cogen-

di vel alios quoſlibet Infideles mos in Gallia nunquam fuit.

Cur enimuerò ſi communis fuiſſe ſupponitur, ſolum exemplum Chilperici (& reprobandum quidem cùm expendetur infrà) tam multorum inſpector qualis ambit videri, protuliſſet ? Iam plures Reges à Chriſtiani regni principiis anteceſſerant Chilpericum, plures poſt illum ſucceſſerunt quorum ſub dominio vel Iudæi viuebant vel alij etiam Infideles : Vbi cuiuſquã per tot annos, per tot occaſiones, per tot euentus coactio? Quot infideles cũ Clodouæo ex profligatis Alemannis ac ſubjugatis reuertẽte? Vllũne ſecũ baptizari præcepit? qui potiùs ad eos alloquendos ante baptiſmum ſuum ſe accingens, tam promptos & alacres alios ad exemplum illius imitandum inuenit vt alloquutionem ipſius præuertentes magno numero baptizari ſe velle conclamarent, aliis in priſtino manendi ſtatu plenam reliquit libertatem ! Quo non tempore olim in Gallia ſub Chriſtianis Principibus Iudæi, donec expelli eos propter

maleficia oportuit ? Cur tolerati ac permiſſi tamdiu in variis Galliæ locis & in ipſa Pariſienſi metropoli viuere ſuo ritu ſicut & modò in quibuſdam partibus permittuntur ? Cur vel à Clodouæo ipſo & aliis etiam Chilperici præceſſoribus, vel eiuſdem poſtliminiò ſucceſſoribus, ad chriſtianum cultum compulſi non ſunt, ſi tunc eos compelli mos fuiſſet ? An Launoius qui referre baptiſmum Clodouæi ad ipſum diem Natiuitatis Chriſti volens de tribus Epiſcopis ad ſenſum ſuum contra planam hiſtoriarum fidem fictitiè traductis dixit, *Et hæc eſt Gallicana Eccleſia*, nunc ſimiliter de Chilperico dicat, *Et hoc eſt regnum Gallicanum?* vel de illius facto qualicunque, *Hic mos Galliæ fuit?*

Fallor tamen, qui ſolum Chilpericum ab eo recenſeri pro ſuo ſenſu dicam: Etſi capite primo eum ſolum recenſet pro Iudæis; capite tamen quarto pro aliis Infidelibus Dagobertum adjungit, quem vult illos etiam ad baptiſmum ſuſcipiendum coëgiſſe, ſicut Iudæos coëgerat ſuo tempore Chilpericus. Fallor-ne verò, qui

exemplum non adjunxerim Dagoberti, falſum & fictitium demonſtrandum? & qui cæterùm ex vtroque ſi verum eſſet ſimiliter argumentari ad propoſitum poſſim? Iudæos ad baptiſmum ſolus coëgit Chilpericus ex ipſa Launoij relatione: Infideles alios quoque ſolus coëgit Dagobertus ex fictione Launoij: Ergo Iudæos ad baptiſmum cogere mos in Gallia fuit propter exemplum Chilperici, vt & alios Infideles cogere propter exemplum Dagoberti. Expendenda ſunt porrò accuratiùs & ſpeciatim hæc exempla, vt intelligant omnes qui voluerint quàm fraudulenter illis non ad morem dumtaxat fictitium & phantaſticum aſtruendum, ſed ad ſinceram veritatem fucatis factis deſtruendam pro ſuo more abutatur; & quàm obliquè illa detorqueat, quàm fallaciter ac infidè referat, quàm audacter mutilet.

ARTICVLVS I.

Chilperici exemplum quale dici debeat, & quàm fruſtra vel inaniter ad aſtruendam Launoianam aſſertionem oſtentatum.

PRIMVM ergo de Chilperico videamus, de quo ſic Launoius vbi ſuprà (ſiue cap. 1. iam notato) ex Gregorio Turonenſi velut ex oculato præſumptitiè teſte refert. *Rex Chilpericus multos Iudæorum eo anno baptizari præcepit, ex quibus plures excepit è ſancto lauacro: Nonnulli tamen eorum corpore tantùm non corde abluti ad ipſam quam priùs perfidiam habuerunt, Deum mentiti regreſſi ſunt; ita vt Sabbatum obſeruare & diem dominicum honorare viderentur. Priſcus verò ad cognoſcendam veritatem nullâ penitus potuit ratione deflecti. Tunc iratus Rex juſſit eum cuſtodiæ mancipari; ſcilicet vt quem credere voluntariè non poterat, ſaltem credere faceret vel inuitum: Sed ille datis quibuſdam muneribus ſpatium poſtulat*

donec filius eius Maſſilienſem Hebræam accipiat, pollicetur dolosè ſe deinceps quæ Rex juſſerat impleturum. Interea oritur contentio inter illum & Phatiren ex Iudæo conuerſum qui iam filius Regis erat ex lauacro: Cùmque die Sabbati Priſcus præcinctus orario nullum in manus ferens ferramentum Moſaïcas leges quaſi impleturus ſecretiora competeret, ſubitò Phatir adueniens ipſum gladio cum ſociis qui aderant iugulauit.

His ita recenſitis notare pergit ſua, & Gregorij Turonenſis narrationem hoc inſigni Commentario illuſtrare, non prætermittens quo tempore geſta ſint quæ narrantur vt fide digniora quaſi ſinceriora dici poſſint. *Hæc geſta ſunt ad annum DLXXX.* (inquit) quæ Gregorius perinde narrat ac ſi *diſciplina hæc pridem obtinuiſſet: Quicquid id eſt, Chilperici factum Antiſtes nullus, Concilium nullum improbauit: Quin etiam Antiſtites ipſimet ſeu primi ſeu ſecundi ordinis Iudæos tinguebant, & eos Rex è fonte ſuſcipiebat. Præterea, ſi Chilp. factum diſplicuiſſet Epiſcopis & cumprimis Gregorio, id Gregorius Chilperico condonaſſet nunquam; id quoque non condo-*

naſſet Epiſcopis ſeu Preſbyteris qui bapti-zaſſent. Vt autem hæc appendix cre-dibilior poſſit eſſe, mox ad firmandam eius fidem ſubjungit: *A me non diſcre-pabit opinor qui libri VI. hiſtoriæ Fran-corum caput XLVI. & vltimum leget.* Hæc porrò tantùm inde refert ex qui-bus appendicem prædictam confir-mare ſe ſatis arbitretur; non valde curans conſtructionem quam ſic abre-ptam & hiantem exhibet. *His itaque cum hac præda pergentibus Chilpericus Nero noſtri temporis & Herodes ad vil-lam Calenſem quæ diſtat ab vrbe Pariſiacâ quaſi centum ſtadiis accedit, ibique ve-nationes exercet: Quadam verò die re-greſſus de venatione iam ſubobſcurâ nocte dum de equo ſuſciperetur & vnam ma-num ſuper ſcapulam pueri retineret, ad-ueniens quidam cum cultro percutit ſub aſcellam, iteratoque ictu ventrem eius perforat; ſtatimque profluente copiâ ſan-guinis tam per os quàm per aditum vul-neris, iniquum fudit ſpiritum.* Vlteriùs pergere non dignatur in Gregorij verbis plenâ ſerie referendis, nec ſine myſterio reticet quæ non ſatis com-moda ſibi ad inſtitutum ſuum arbi-

tratus eſt, ſicut patebit infrà cùm ex integro à me reponentur; ſed commodius exiſtimauit generatim ac implicitè indicare ſic tantùm; *& cætera quibus Chilpericum vt Principem poſt homines natos ſceleratiſſimum deſcribit:* Ac deinde ſubſumit: *Sed quòd Gallicanæ Eccleſiæ diſciplinam in tinguendis Iudæis violauerit nuſquam dicit, dicturus vtique ſi violaſſet:* Ex qua ſubſumptione tam glorioſè ac ſecurè triumphat vt ſic decretoriè pronuntiet: *Heîc tergiuerſationi & moræ nullus eſt locus.*

§. I.

Adeo-ne ſic actum de me putas, Launoi? vt nec tergiuerſari poſſim nec morari quin tibi repugnantem indignè ferens tam celeriter tot inuictis machinis & momentis obruas? vel de aliis actum quoque qui repugnare mecum auſint? Atqui non ſic terremur minis tuis vt nos tergiuerſari vel remorari tuos ictus tam imbecilles & imbelles tuoſque tam inſulſos inſultus oporteat; nec eos repellere aliter quàm fugâ declinando poſſimus: Ne tu ipſe tergiuerſare vel declina, vt remoreris quæ à nobis retorquenda

ſunt aut eludas. Cur enimuerò non obuersâ excipiamus fronte vel tam inutilia quæ ſpernamus, vel tam illuſoria quæ rideamus, vel quæ tam fictitia & imaginaria explodamus?

Vnde inprimis habes quod aſſeris tam confidenter, Gregorium iſtius rei oculatum fuiſſe teſtem quæ ſupponitur apud Sueſſionem geſta? Niſi non tantùm ei aquilinos oculos qui tam procul videant ſed lynceos qui parietes ipſos penetrent, affinxeris; imò lynceis vltra modum & aquilinis præualentes; cùm eum à prædictâ remotiſſimum vrbe tunc fuiſſe momenta eius immediatè ibi præcedentia ſignificent? Ait-ne porrò ſe vidiſſe, vt oculatus à te vocari teſtis poſſit? Aut negatiua quæ tam crebrò inſulsè vrges argumenta oblitus iam ſis, vt quod non ait ſe vidiſſe affirmes tamen tam confidenter ſic vidiſſe? Niſi non vidit illud cuius teſtis fuerit oculatus! aut oculatum vocas quia potuit vſurpare oculis quod interim non vſurpauit, vt alibi tam ſubtiliter notas, & ſuo loco in quæſtione de ſolenni baptiſmo celebrando pro miraculo Ebredunenſi ex

cuſſum eſt. Sedenim oculatum nunc teſtem fingis vt præſentem concludas adfuiſſe cùm Chilpericus baptizari Iudæos præciperet;indeque huic facto aſſentientem, illud probantem, vel ad minus non improbantem perſuadeas; mirum quòd non etiam cum confictis ibidem à te Antiſtitibus baptizantem.

§. 2.

Secundò, quàm inſulsè ac nugaciter ais perinde illum loqui ac ſi diſciplina hæc pridem obtinuiſſet! Vnuſne apex in vniuerſa eius narratione quæ hoc per vmbram inſinuet? vnumne veſtigium tenuiſſimum ex quo conjici poſſit? Et alioqui cur hanc ipſe capite primo miſerandæ Diſſertationis tuæ præfigis epigraphen tam ſingularem, *Gallicanæ Eccleſiæ diſciplina in cogendis ad baptiſmum Iudæis ſub Chilperico Rege Francorum Clothariȷ primi filio?* Si iam pridem obtinuerat, cur hoc tempore tantùm notas exemplum eius primum? Si generalis fuit, cur ad vnum reſtringis Chilpericum? Cur non ſub Clodouæo primo, ſub Childeberto primo, ſub Clothario primo,

notas, qui Chilpericum præceſſerunt? Cur non ſub Chariberto, ſub Guntheramno, ſub Sigiberto, Chilperici fratribus, qui eodem tempore in diuerſis totius regni Gallicani partibus diſtributâ ſortitò in ſingulos paternæ ditionis hæreditate regnauerunt? Cur non ſub Chariberto potiſſimùm qui Pariſiis tum regnabat cùm per ſortitionem antedictam regnaret ſolùm apud Sueſſionem Chilpericus? Cur non ſub Chilperico ipſo perſeuerauit idem vſus aut oſtenditur perſeueraſſe, poſtquam per Chariberti fratris mortem Rex Galliarum dici cœpit; & vno tantùm anno id feciſſe notatur apud Sueſſionem quod ſubinde feciſſe non dicitur vel ibi vel alibi, ſi hoc ad generalem diſciplinam Galliæ pertinebat? Cur diſciplinam fingis quam figere nullibi potes extra Sueſſionem aut ante regnum Chilperici? ſed nec Sueſſione niſi ſemel, & in ipſius Chilperici regno poſteriori (verè Gallico) nunquam? Cur illam ex vnico confingis facto quod indiſciplinatum dici veriùs poſſit, vt ſequentia indicabunt? Cur Gregorio Turonenſi affingis,

licèt eam ne vmbraticè quidem inſinuanti? qui expreſſam non omiſiſſet annotare (ſicut non ſemel ipſe in aliis diuinas, & nunc nobis exemplo tuo diuinare liceat) ſi quod eius exemplum inueniſſet? Cur ſic figmentis tuis tam apertam eludis veritatem? Niſi quòd vt es paſſim fingendo aſſuetus, exuere tam prauam conſuetudinem non magis potes quàm teipſum; & nec in iis quæ maximi ad chriſtianam praxim aut chriſtianos ritus & mores momenti ſunt vitare illam potuiſti, vt indicaui ſuis locis!

§. 3.

Tertiò, quàm ſubdolè ae fraudulenter, nec inaniter minùs, addis hoc factum Chilperici à nullo Antiſtite, à Concilio nullo improbatum! & ne tam bellæ fraudi ſuus ornatus deſit, vel tam inani vmbræ ſuus color, adjungis quoque quòd Antiſtites ipſi tam primi quàm ſecundi ordinis (quos deinceps appellas *Epiſcopos & Preſbyteros*, quaſi & Antiſtites dici Preſbyteri ſoleant) baptizarent Iudæos quos è fonte ſuſcipiebat Chilpericus; vt hinc inferas eos non improbaſſe

baſſe factum cuius exequutores ipſi eſſent, ſed planè illud approbaſſe.

Quinam fuerint hi Antiſtites, primi ſaltem ordinis, cur non dicis? Nam Gregorius nullos notat: An valde multos cum eo Rege fingas qui quartam partem tantùm Gallici regni multò anguſtioris quàm nunc occupabat; & qui apud Sueſſionem ſedem regni fixerat, ſicut ipſe loqueris, imò cui per ſupradictam ſortitionem fixa erat? An Preſbyteros (vel ſecundi ordinis tuos præſumptitios Antiſtites) non ſatis erat ad baptizandum adhiberi quamuis è fonte ſuſciperet Rex baptizatos? aut neceſſe eſt Antiſtitem adeſſe qui baptizet quoties Rex aliquis rogatus à ſubditis qualibuſcunque baptizatum quempiam ſuſcipere dignatur?

An ſi demus etiam tibi veros tunc Antiſtites primi ordinis adfuiſſe ac ſuum eos Regi miniſterium ad baptiſmi collationem præbuiſſe, inferre inde poſſis eos nutui Regis conſenſiſſe libentes in hoc facto, ac non potiùs paruiſſe inuitos & coactos? An id ex Gregorij verbis aliunde petitis à te

(quæ pro ſolito myſterio fraudulentiæ tuæ ſub vno *& cætera* inuoluis vt notaui) non ſatis colligere aut ſuſpicari potueris, cùm ad impietatem Chilperici exaggerandam ſubdit quòd *Sacerdotes Dei aſſiduè blaſphemabat; ac de illis delectabatur malè loqui?* Vt intelligas quid facturus præſumeretur, ſi hoc præcipienti reſtitiſſent, quicunque ſupponantur fuiſſe?

Quidni tam ſuperfluè modum referens quo de venatione reuertens occiſus eſt, vt poſt homines natos eum ſceleſtiſſimum probes, quaſi hoc ad probanda ſcelera eius valde interſit, prætermittis iam indicata exprimere quæ id meliùs probent? Niſi quia concludi timuiſti quod concludimus ex hypotheſi non conceſsâ, præſumptitios illos primi ordinis Antiſtites adactos metu ad id præſtandum quod vtcunque præſupponuntur præſtitiſſe in eo facto, ne Neronem ſui temporis dictum ad immanem furorem prouocarent ſi hoc exequi detrectaſſent vel improbari à ſe ſignificaſſent quod iubebat?

Sed ſi etiam ſponte in factum illud

conſenſiſſe aut Chilperici nutum approbaſſe dicantur, quid intereſt ad inferendam diſciplinam? quæ debuerat aliunde ſupponi iam probata vt eam inferrentur ſequuti eſſe cùm id quod præſumuntur præſtiterunt: Nam cur potiùs alioqui non præſumantur bonâ fide feciſſe quod videri poterat bono animo factum (ſicut infrà in Gregorij Magni verbis analogicè notabimus) tametſi faciendum nulla præcedens diſciplina ſanxiſſet, ac non juſtum ambigi poſſet quia nouum & periculi occaſioni obnoxium? Nec perinde eſt vt Epiſcopi duo & Gregorius quidem Turonenſis ex illis vnus eidem Chilperico aliâ vice cûm hæreſim Sabellianam inducere tentaret reſtiterint, quia directè de fidei ſubuerſione agebatur nullo prætextu excuſandâ.

Æquè friuolum porrò quod vt magnum aliquid ſubjungere te putas ad probandam illius facti æquitatem, quia ſicut à nullo Antiſtite improbatum eſt, ſic etiam à Concilio nullo improbatum. Quid erat opus Concilio

Vt improbaret factum à quo deſtitit Chilpericus, quod ſemel tantùm fecit, quod ſiue admonitus priuatim, ſiue ſuâ ipſius victus conſcientiâ & euentu prioris facti parum fauſto conuictus, faciendum ſubinde non putauit? Quod Concilium conuocari ad improbandum illud poſſet? vbi, ex qua parte Galliæ conuocandum? cùm nec apud Sueſſionem niſi pauci admodum Chilperico ſubditi poſſent conuenire, quod verò ab aliis regnorum aliorum Antiſtitibus factum eſſet vel definitum, nihil ad Chilpericum pertineret. Cui ergo vſui conuocandum in iis locis fuit in quibus nihil tale occurrit improbandum quia nec factum? Nec ſufficeret factum eſſe quomodolibet (caſu magis quàm vſu & ex more) vt improbandum à Concilio videretur, niſi Decretum facto iunctum eſſet, ſicut de Siſebuto Rege inferiùs patebit; quale nullum à Chilperico editum eſſe præſumitur: Aut quidni propterea nulli vſui eſſe concludamus quæ tam otioſo conatu Launoius congerit vndequaque? vtinam nulli etiam

abuſui, quem vnum ſibi propoſuiſſe paſſim videatur loco veri ac legitimi vsûs inducendum!

§. 4.

Quartò, quàm inutile rurſus vel fruſtraneum ac friuolum quod vt omnium firmiſſimum ac fortiſſimum tibi viſum inculcas! Gregorium ſcilicet Turonenſem nunquam condonaturum Chilperico, ſi factum eius diſplicuiſſet ſibi; nunquam etiam Epiſcopis & Preſbyteris qui baptizaſſent condonaturum quod Chilperici juſſu eos præſumis præſtitiſſe. Iam reſponſum eſt, ſubnotari aliquid ibi poſſe bono animo factum, quantumcunque non ſatis per ſe rationi vel æquitati conueniens; ac propterea tale quod ad impietatem Chilperici exaggerandam ſicut alia quædam quæ Gregorius vrget nihil conferre videretur: Num tamen ſatis improbare ſe ſignificat factum illud aut ſibi diſplicere oſtendit, cùm pleroſque illorum quos præcepit Rex baptizari, corpore baptizatos dumtaxat ſed non corde ablutos dicit, ac ſubinde mentitos Deo ad perfidiam ſuam rediiſſe? Nam hæc eſt

verè cauſaex præcipuis vna cur Eccleſiæ diſciplina inuitos baptizari non ferat vel coactè compelli ad baptiſmum, ne fictè illum ſiue illuſoriè recipiant, aut planè nullum recipiant quia nec recipere vllo modo intendunt; aut etiam receptum ſi aliquam intentionem habuerint, poſtliminio excutiant, quia coacti receperunt.

Cæterùm, qualis illa tam ferox (vt præſumis) tam atrox, tam immanis, tam violenta coactio? quam Gregorius Turonenſis *præceptum* appellare ſatis habuit, nec vim vllam ad exequendum illud adhibitam vel intentatam indicauit. Eſto præceptum terruerit Iudæos ne contemptum illius pœna fortaſſe quædam ex tam ſeueri Regis inflictione ſequeretur: Satis eſt non expreſsè notari comminatam, vt coactio intelligatur talis non fuiſſe quæ libertati repugnaret. Vnum dumtaxat ex omnibus malè habitum notat Gregoriana illa narratio, quia ſolus non fecit quod alij facere actu ſaltem exteriori conſenſerunt. Quid ſi hoc meruiſſe putatus eſt quia exemplum aliorum (quaſi

ſapere ſe plus illis præſumens) præ nimiâ pertinaciâ ſequi nollet ? Quid ſi amicè factum vt opportunum ei tempus reſipiſcendi concederetur ? cùm ſit ſolùm carceri mancipatus, & violentam eius mortem ex aliâ occaſione conſequutam Rex vindicari præceperit, vt Gregorius Turonenſis narrare pergit, & tu pro more tuo prætermittis aut diſſimulas.

An tamen tanti hæc habenda narratio ſit quam aliæ Francorum hiſtoriæ non commemorant cùm Chilperici geſta prolixè ſatis ac diffuſè referunt, quamuis ex Gregorio ipſo mutuata ? Quid enimuerò illud, quòd Priſcum Rex juſſerit carceri mancipari vt eum ſaltem vel inuitum credere compelleret ? An quiſquam nolens credat ? Aut non idem eſt nolens ac inuitus ? *Intrare quidem Eccleſiam poteſt nolens ; accedere ad altare poteſt nolens ; accipere Sacramentum poteſt nolens ; credere non poteſt niſi volens ;* ait Tractatu 26. in Ioannis Euangelium Auguſtinus : Vbi & cauſam ſubdit : *Si corpore crederetur, fieret in nolentibus ; ſed non corpore creditur.*

Demus porro id intelligi bono ſenſu quo Gregorius Turonenſis intellexerit, vt inuitus diſponeretur ad credendum, tametſi non crederet poſtea niſi volens: Demus indubitatam Gregorij narrationem eſſe nec ei fidem vlla ex parte abdicandam: Demus Iudæos non inductos dumtaxat Chilperici præcepto qualicunque ſed minis ac terrore coactos ad baptiſmum: Quid inde tandem eruatur, niſi fortaſſe bonâ fide licitum ſibi exiſtimaſſe Chilpericum quod obuelari pietatis prætextu poſſet? niſi ſemel feciſſe per errorem quod poſteriùs emendarit? niſi tentaſſe ſolum in angulo Galliæ vno quod in aliis eius tam diuerſis partibus præter illum alius nemo Regum auſus eſt aut aggreſſus? Et propterea fraudulentam ac falſam eſſe inſcriptionem illam tuam Launoi qua *Eccleſiæ Gallicanæ diſciplinam* appellas quòd Iudæos juſſerit baptizari vel coëgerit Chilpericus.

ARTICVLVS II.

Falsò ac fallaciter, imò ineptè prorſus ac ridiculè, Dagoberti exemplum ad prædictam Galliæ diſciplinam præſumptitiam à Launoio applicatum.

FRENDENTEM tamen in me ſentio ac frementem quòd cum ſolo Chilperici exemplo fretum dicam, tam inutili alioqui vel tot momentis reprobando: Iungendum habet cum Chilperico Dagobertum etiam primum; quamuis eos diſtinctis capitibus (primo & quarto) ab inuicem ſeparat, interjectâ Romanâ & deinde Hiſpanienſi diſciplinâ, propter Chronologiam fortè ſcrupuloſiùs obſeruandam; vel quòd vrbs Gandauenſis de qua in facto Dagoberti agitur ad Galliam ampliùs non pertineat ſicut olim; vel potiſſimùm & expreſſiùs, quia exemplum Chilperici pro Iudæis eſt, vt & Hiſpanienſe ac Ro-

manum, ſed pro ſolis Ethnicis Dagoberti exemplum, vt in eius inſcriptione indicatur. Hinc porrò verum ſemper manebit quod præmiſi, nonniſi vnum pro Iudæis exemplum ad communem ac generalem diſciplinam ex illo aſtruendam à Launoio tam inaniter oſtentatum; ſicut nunc vnum ſolum etiam pro Ethnicis producit ad baptiſmum coactis in Gallia, non minùs inaniter, ſed ineptiùs adhuc & fallaciùs.

Hoc enimuerò ſic proponit capite quarto: *Dagobertus primus qui tum regnabat in Gallia cùm Toletanum Concilium IV. habitum eſt, Chilperici & Siſebuti exemplum maluit quàm inductam à Toletano Concilio diſciplinam ſequi; idque probantibus Epiſcopis duobus, Amando Trajectenſi qui Flandrorum Apoſtolus dicitur, & Aichario Nouiomenſi: Id omnino tradit Author vitæ ſancti Amandi.*

§. I.

Sed antequam quid Author ille tradat & quàm illius verba fideliter à relatore iſto recenſeantur expendamus, quærere primùm juuat cur ſub-

ticendum putauerit huius Authoris nomen qui tam plerumque otiosè alia quædam notat; niſi ſolito aſtu ſuo ex induſtria licèt obtusâ ſic putauit, ne intelligeremus Authorem illum qui Milonis nomine anno Domini 870. apud Surium prænotatur, ducentis pluſquam annis poſteriorem Dagoberto; indeque iſtud contra illum vt *ad hominem* argumentum colligeremus ex principiis quæ tam ſæpè recantat vt eludat etiam quæ plana ſunt: Non eſt recipiendum quod Authores poſteri dicunt niſi coætanei vel ſuppares dixerint (vt loquitur) Atqui Author coëtaneus Dagoberti & quidem ſancti Dionyſij Abbatiæ Monachus qui geſta eius ex profeſſo deſcripſit, nihil tale de facto iſto præſumptitio narrat, vt primo tomo hiſtoriæ Francorum videre eſt: Ergo rejiciendum quicquid Author prædictus Dagoberto ducentis annis & plus ducentis poſterior de hoc eodem facto præſumptitio ſcripſit. Neque hîc porrò moroſiùs tricari velim vel immorari contentiùs; cùm ſint qui eam ipſam ſancti Amandi vitam iam ante

ab alio Authore quem illius æqualem vocant ſcriptam notent, & in quibuſdam geſtis Dagoberti quæ à prædictis diuerſa ſunt eodem tomo hiſtoriæ Francorum ſic notetur, eumque ſub nomine proprio Baronius deſignet Baudemundum, ſed malè ad Surium remittat qui Milonem vt ſuprà cum eodem indice non alium quempiam annotauit.

Quærere item iuuat cur cùm Iudæos ab Ethnicis capitum accuratâ diſtinctione ſeparauerit nec ſub eadem illos diſciplinâ comprehenderit, ſed aliam ſeorſim ab aliâ tractandam putauerit, & ad Iudæos tantùm vel Concilij Toletani Decretum pertineat, vt & exemplum Siſebuti ſicut patebit infrà; vel exemplum etiam Chilperici perinde ac præcedens vtrumque, ſicut patuit ſuprà; nunc tamen Dagobertum quem vult Ethnicos coëgiſſe, componat cum exemplis vel Chilperici vel Siſebuti & cum Decreto Toletano, quaſi Ethnicos quoque ſpectent vel diſciplinam ſimiliter ad eos pertinentem includant: Nec eadem ratio Iudæorum ac Ethni-

corum dici poteſt; quia Iudæi ſaltem in figura fidem Euangelij ſuſceperunt, Ethnici autem nullo modo ; & propterea non eâdem Ethnici ac Iudæi præſumendi ſunt comprehenſi vel inuoluti diſciplinâ.

Quin & quærere juuat quàm reuerenter Dagobertum affirmet maluiſſe vel Chilperici ſupradicti vel Siſebuti Regis exemplum quàm Concilij Toletani Decretum ſequi : Vt Chilpericum nempe, quem ſuperiùs velut hominum ſceleratiſſimum deſcribebat, & Siſebutum quem inferiùs ex hoc facto ab Epiſcopis reprehenſum patebit, præferendum putarit ipſi Epiſcoporum tam ſolenni Decreto Dagobertus ! Vt plus regiæ in re ad chriſtianos ritus pertinente deceptioni quàm canonicæ ſanctioni ac diſciplinæ detulerit ! Vt ob vnius Regis & ſceleratiſſimi quidem vnum ſolum exemplum nec ab eodem repetitum, quo ſemel tantùm præcepiſſe dicitur baptizandos Iudæos, tot alia prædeceſſorum Regum exempla neglexerit qui nihil tale præceperunt ! Vt exoticum alterius Hiſpanienſis Regis

factum tot gallicanis ac domeſticis actis ac illius Edictum ſæculare ſacris Decretis prætulerit! Vt Epiſcopi duo Galli omnium Hiſpanorum Epiſcoporum in Concilio Nationali congregatorum ſententiam Decreto confirmatam contemni probauerint & maluerint quàm vnum aut alterum exemplum tam imitatione indignum abdicari! An id alius quiſquam à Launoio niſi Launoianus in animum inducat?

§. 2.

Prætermittamus tamen iſta, nec tam variis illum ac perplexis quæſitis implicemus; neque vt præmonui ſtatim præter cætera in Authoris nomine vel tempore quo vixit immoremur. Quod potiſſimum ad veritatem facti pertinet, expendere actutum ſufficiat: An res nimirum illa ſic ſe habeat vt refert, & an eam integram retulerit; aut rectè intulerit ſubinde quod ſic infert vt inſultare negantibus triumphabundus videatur.

Sic ergo refert ex abrupto: *Auditâ Gandauenſium Infidelium ſtultitiâ ſanctus Amandus magis eorum miſeratus errorem quàm de ſua vitæ periculo per-*

timeſcens , Aicharium Epiſcopum qui tunc Nouiomenſis vrbis Cathedræ præſidebat Sacerdotali adiit, eumque humiliter poſtulauit vt ad Regem Dagobertum quantocyùs pergeret, epiſtolaſque ex juſſu illius acciperet, vt ſi quis ſe non ſponte per baptiſmi lauacrum regenerare voluiſſet, coactus à Rege ſacro ablueretur baptiſmate : Quod ita factum eſt : Perceptâ namque à Rege poteſtate & benedictione à Pontifice illuc vir Domini Amandus perrexit intrepidè. Tum ſic inſultabundè addit : *Quibus verbis nihil manifeſtius : Perſpicuitas rei argumentatione eleuaretur.*

Nunquid ex iſtis verbis putes, Lector, nihil manifeſtius eſſe quàm quòd ethnicos Gandauenſes coactè baptizari juſſerit Dagobertus ? quòd ſic baptizati ſint ab Amando ? quòd ſatellites ei ad exequendam coactionem illam plenâ ſuæ authoritatis poteſtate munitos adjunxerit ? quòd qui baptiſmum recipere ab illo noluerunt , mulctati , ſpoliati , expulſi, carceribus addicti, aut alio quolibet modo ad flectendos eorum peruicaces animos diuexati, afflicti, oppreſſi ſint ?

Videbis longè manifeſtius eſſe quantùm te Launoius datâ operâ fallat, cùm inſpexeris quæ reſecat ac prætermittit, & quæ præfatus Author qualiſcunque ne vno quidem interjecto apice poſt prædicta ſic proſequitur. *Vix dignè quis enarrare ſufficiat quantas ibidem pro Chriſti nomine paſſus ſit injurias* (Amandus) *& quàm frequenter ab incolis illius loci cæſus ſit, necnon à mulieribus & ruſticis non abſque injuria ſit repulſus; verùm etiam & in flumen ſæpè præcipitatus: Quæ omnia vir ſanctus pro nihilo deputans, verbum Domini non deſtitit prædicare. Comites etiam illius qui eum fuerant germanâ charitate ſequuti, ob inediam vel ſterilitatem loci ad propria remeantes eum ibidem ſolum reliquerunt: Ipſe verò in prædicationis permanens officio alimentum propriis acquirebat manibus. Sanè captiuos innumeros redimens ſacro baptiſmate emundabat, & vt in operibus bonis perſiſterent hortabatur.*

Vbi Launoiana coactio? Violentiam intuliſſe dicatur qui tam grauem pertulit? Coëgiſſe rebelles, quorum ipſe toties coactus eſt furorem experi-

ri? Renuentibus ac inuitis baptiſmum contuliſſe, à quibus in alias quàm baptiſmales aquas tam indignè demerſus paſſim & immerſus? O fidum & ſincerum hiſtoriarum relatorem! Vides-ne quàm aſtutè incautis quidem qui decipi ab illo ſponte volunt ſed quàm obtusè hanc appendicem cautioribus occultarit qui fraudes eius & fallacias non ignorant? Meritò planè timet ne argumentatione perſpicüitas rei qualem præſumit eleuetur: Timere debuerat adhuc juſtiùs, niſi omnes incurioſos putet, ne ſequentia quæ reponimus legerentur; indeque poſſent argumentari qui legiſſent, hoc modo: Si Gandaui factum eſt quod præcepit fieri Dagobertus, præcepit autem vt coacti baptizarentur qui baptizari ſponte nollent, ſequitur quòd coactè aliqui ſaltem baptizati ſint Gandauenſes, vt ex prædictâ narratione à Launoio ſupponitur: Atqui ex illa ipſa narratione continuatâ quàm ſupprimit, coactos non fuiſſe manifeſtum eſt, nec baptiſmum omnino ſuſcepiſſe niſi captiuos quoſdam qui per ſanctum Amandum,

à captiuitate redempti baptizari ſe ſponte voluerunt : Ergo vel eos cogi ad baptiſmum ſuſcipiendum non præcepit reuerâ Dagobertus , vel quod præcepit, factum non eſt ſicut præcepit : Quidni autem violentiam adhibuit vt id fieret ſi fieri præcepit ? aut quomodo voluit eos cogi niſi violentiam adhiberet , ac miſſi eſſent à ſe qui plenam vim cogendi haberent, rebelleſque vel contumaces puniendi? Factum-ne hoc ?

Vt enimuerò intelligas quid verè ſibi velit hæc narratio tota , quantumuis eam ſubobſcuris antilogiis & ambagibus eius Author confundat & inuoluat, reuolue quæ ibidem præcedunt , & quæ rurſum ſuppreſſit Launoius. *Cùm Diœceſes ob animarum ſolicitudinem vir Dei circumiret Amandus, audiuit pagum eſſe quendam cui vocabulum eſt Gandauum ; cuius loci habitatores antiqua diaboli verſutia vſque adeo circumquaque laqueis vehementer irretiuit vt ligna & arbores pro Deo adorarent ; Propter ferocitatem enim gentis illius omnes Sacerdotes ab eius loci prædicatione ſe ſubtraxerant ; & nemo*

audebat in eodem loco verbum annuntiare Domini : Quo audito vir ſanctus , & cœtera quæ notata ſunt. Hoc ergo ſolum à Dagoberto præceptum eſt; hoc ab Amando ipſo & Aichario in gratiam Amandi poſtulatum , vt eum Gandauenſes quamuis inuiti reciperent nec expellerent ſicut priùs alios expulerant , ſed verbum Dei prædicare liberè permitterent , quatenus conuertere ad fidem chriſtianam aliquos poſſet ac inducere ad baptiſmum : Et hoc etiam ſolum Author velle dicere putandus eſt niſi omnino ſibi contradicat. An verò Aicharius à Dagoberto poſtulaſſet aut poſtulandum ſanctus Amandus inſtitiſſet quod ignorare ambo vel dubitare non poterant ab Eccleſia improbatum , vt videbimus ? Et an rectè concludat Launoius (vtinam ſimilior vtrique) quod concludit ? *Amandus igitur & Aicharius ſeu Acharius authores fuerunt vt Dagobertus Infideles ad ſuſcipiendam fidem cogeret:* An & ariolando ſapienter ſubjungat ? *Nec dubito quin Audoënus & Eligius viri ſcientiâ & vitæ ſanctimoniâ præcellentes qui tunc ab-*

omnibus & maximè à piis Dagoberti Conſiliis erant, ſeſe ad Amandi & Achariꝗ partes aggregauerint. Quàm rideret Magiſter negatiuus effuſo toto ſplene, ſi ſic alius diuinaret ! aut ſe non dubitare factum diceret quod non dicit fuiſſe factum Author ipſe, vt nec alius quiſquam dicit ! Sed oportebat nempe vt qui baptiſmum Clodouæi die Natali Chriſti à ſancto Remigio Rhemenſi factum fingens ac eum talem tum à ſancto Vedaſto Atrebatenſi per præſentiam tum à ſancto Auito Viennenſi qui abſens erat per gratulatorias literas comprobatum, ex ficticiis trium tantùm Epiſcoporum teſtimoniis ineptiſſimè concluſerat *Et hæc eſt Eccleſia Gallicana*, quantumuis contrarium ab illâ totâ vſurpatum ac definitum conſtet (vt in alio de baptiſmo Tractatu oſtenſum eſt, & iam reſumptum ſuprà) nunc ineptiâ non diſſimili Epiſcopos quatuor ſibi fingat coactionem Infidelibus ad baptiſmum ſuſcipiendum inferendam præſumptitiè approbantes ; vt vel ex illis otiosè confictis vel obliquè detortis concludere audacter poſſit

quod prætexit ad Eccleſiæ Gallicanæ veram & legitimam diſciplinam ſtabiliendam pertinere; quamuis ad ſolum factum Dagoberti perperàm intellectum ac deprauatum reuocatam. Carolum-Magnum qui Rex Galliæ fuit ſine dubio addidiſſet, niſi exemplum eius ad Saxoniam pertineret vbi rem geſtam ſupponit; ſed quàm ineptè rurſus vel fallaciter videndum eſt.

ARTICVLVS III.

Falſum omnino eſſe quòd ab baptiſmum ſuſcipiendum vel ad recipiendam fidem Saxonas coëgerit Carolus-Magnus; quamuis iam ante baptizatos ad retinendum quod receperant coëgerit.

NON opus eſſet aliunde accuratiùs conquirere quo falſitatem illam conuincamus; cùm ea loca quæ ad probandam fictitiè aſſertionem ſuam tam operosè vel potiùs tam otiosè Launoius congerit, pluſquam ſatis quod intendimus probent eo ipſo quòd nihil planè pro illius intento probant, nihil planè concludunt: Sed ad eius nihilominus falſitatem vel fallaciam eò ampliùs conuincendam alia quoque rem diſtinctiùs & clariùs exprimentia quæ legere debuit & videre ſi veritatem noſſe vellet, aut omittere ac ſupprimere non debuit ſi decipere nollet, adjungemus.

Ea inprimis expendamus quæ valde ſibi exiſtimauit opportuna : Tametſi nec expendi oportet quæ vel primo aſpectu ſuam ipſam inanitatem præ ſe ferunt. Aduerte, Lector, ſi vel apicem vnum in his omnibus deprehendas inſcriptioni tam ludibundæ reſpondentem qua *Eccleſia Saxonica* (nullius adhuc) *diſciplinam in cogendis Ethnicis ad baptiſmum ſub Carolo-Magno Rege prætexit*; aut propoſitioni & procœmio textûs vbi præmittit quòd Carolus ad annum 776. edixit vt Saxones Ethnici baptizarentur; & Françorum Annales qui ab anno 708. incipiunt & deſinunt in annum 800. illud tradere ait.

§. 1.

Ex his igitur Annalibus hoc primùm refert : *Domnus Carolus Rex audiuit quòd Saxones rebellaſſent contra Francos; motoque exercitu pergens obuiàm illis, cùm vidiſſent Pagani quòd non poterant Francis reſiſtere timore perculſi ſunt; veneruntque majores natu ad Domnum Regem poſtulantes pacem; & baptizatâ multâ turbâ populi ædificauerunt Franci in finibus Saxonum ciuita-*

tem. Eodem anno glorioſus Rex Carolus venit in Saxoniam loco cognominato Patreſbruna , *habuitque ibi magnum Placitum ; & ibi conuenerunt Saxones ad baptiſmum Catholicum ; & baptizata ſunt multa millia populorum gentilium ; & ædificauerunt ibi Franci Eccleſiam.* Quorſum hæc vt concludant , Ergo eos Carolus baptizari coëgit? Nempe, quia pacem ab illo poſtularunt, quia ſimul cum pace ad majorem illius firmitatem baptiſmum petierunt, quia ſeipſis ad eundem petendum conuenerunt! Quid enim præ ſe ferant aliud verba illa ? & an coactionis vmbram inſinuent quam illis ad hunc finem directè incuſſerit Carolus ?

Deinde (inquit) in aliis Annalibus qui ab anno 741. incipiunt & in annum 814. deſinunt : *Cùm perueniſſet anno 776. Domnus Carolus Rex Vvarmatiam , omnes iſtas cauſas audiens conjunxit Synodum ad eandem ciuitatem ; & ibi Placitum publicum tenens, Conſilio facto cum Dei adjutorio , ſub celeritate & nimiâ feſtinatione Saxonum caſas ſeu firmitates ſubitò introiuit. Tunc Saxones perterriti omnes ad locum vbi Lippia conſurgit*

conſurgit venientes ex omni parte reddiderunt patriam per Vuadium omnibus manibus eorum, & ſpoponderunt ſe eſſe Chriſtianos, & ſe ſub ditione Domini Caroli Regis & Francorum ſubdiderunt. Et tunc Domnus Carolus Rex vnà cum Francis readificauit Hereſburgum Caſtrum denuo & aliud Caſtrum ſuper Lippiam; ibique venientes Saxones vnà cum vxoribus & infantibus innumerabilis multitudo baptizati ſunt; & obſides quantos iam dictus Dominus Rex ab eis quaſiuit dederunt. Nunc etiam concludit ſicut priùs: Ergo coacti à Carolo fuerunt recipere baptiſmum quia illum ab ipſo poſtulare venerunt; vel coacti amplecti fidem chriſtianam quia ſe Chriſtianos fore ſpoponderunt.

Pergit quòd anno 794. ſic dicitur: *Inde* (ſcilicet Francofurto) *motus eſt exercitus partibus Saxonia per duas turmas: In vnam fuit ipſe Domnus Carolus glorioſiſſimus Rex: In aliam miſit Domnum Carolum nobiliſſimum filium ſuum per Coloniam. Saxones autem congregantes ſe in campo qui dicitur* Sinaisfelt, *praparantes ſe quaſi ad pugnam. Cùm*

verò audiſſent ſe ex duabus partibus eſſe circumdatos, diſſipauit Deus conſilia eorum; & quamuis fraudulenter Chriſtianos ſe & fideles Domno Regi fore promiſerunt: Concludat rurſus: Ergo Carolus Chriſtianos coëgit eſſe, quia ſe tales fore fraudulenter & fictè promiſerunt, ſicut & ei ſe fideles futuros; quaſi eam ab illis extorſiſſe promiſſionem indicetur!

Tum anno 795. *Audiens verò quòd Saxones more ſolito promiſſionem ſuam quam de habendâ Chriſtianitate & fide Regi tenendâ fecerant irritam feciſſent, cum exercitu in Saxoniam ingreſſus eſt, & vſque ad fluuium Albim peruenit ad locum qui dicitur* Lunis, *in quo tunc Vvizin Abroditorum Rex à Saxonibus occiſus eſt. Ibi etiam venerunt Miſſi Tudun, qui in gente & regno Auarorum magnam poteſtatem habebat; qui dixerunt quòd iſdem Tudun cum terra & populo ſuo ſe Regi dedere vellet & eius ordinatione chriſtianam fidem ſuſcipere. Rex verò afflictis magna ex parte* Saxo*nibus eorumque terrâ vaſtatâ acceptiſque obſidibus in Gallias rediit.* Hinc equidem coactio nonnulla in Saxonas ad pro-

ſitendam fidem erui planè poſſet, ſi ſaltem eam verba illa clariùs explicarent; ſicut afflictos tantùm ipſos, terram eorum deuaſtatam, obſides ab iiſdem acceptos diſtinctiùs exprimunt: Sed quid refert ſi tunc etiam eos ad retinendam profeſſionem quam ſuſceperant chriſtianam coëgit! quod omnino ſecundùm legem licet, quantumuis fraudulenter ac ſimulatè ſe ſuſcipere illam promiſiſſent; quia non minùs eos exterior proteſtatio apud homines obligabat. Inde-ne verò concludatur quòd ad recipiendam primò fidem & ad baptiſmum ſuſcipiendum cogi licitè potuerint aut coacti ſint? cùm nulla prorſus verba vllibi tale quidpiam ſignificent, & contrarium ſtatim ſit probandum? Quàm inaniter porrò ſuum Tudun ſubjungit, qui ſe cum terra ſua chriſtianam promittit fidem ſuſcepturum! cùm id promittat vltro nec à Carolo ſolicitatus aut coactus: Nam quod in ſupradictis verbis ait ſe *ordinatione Caroli* hoc facturum, non ſignificat ordinatum fuiſſe à Carolo vt chriſtianam fidem ſuſciperet, ſed ſignificat

ſolùm (vt manifeſtè ſatis patet) ſe illam prout ordinauerit ſuſcepturum; nec minùs propterea ſe ad id ſponte offert quod exigere nullo iure Carolus poſſet quantumcunque prætextitio, cùm nec ſubditus ei eſſet, ſed eſſe velle profiteretur; vt ipſa eius verba declarant.

Ad extremum anno 796. eundem rurſus Tudun inculcans, hæc ſubjungit. *In eodem anno Tudun ſecundùm pollicitationem ſuam cum magna parte Auarorum ad Regem venit, ſe cum populo ſuo & patria Regi dedit: Ipſe quoque & populus baptizatus eſt:* In extremas probationum anguſtias adductum eſſe tam ſolertem Criticum oportuit vt ad extremum nobis hanc ingereret quæ verè dici poſſit extrema, quia nulla veriùs contemnenda! Tanti-ne fuit appendicem iterum inculcare iam ſatis in prædictis vt inutilem intellectam! Niſi quòd illam eò magis quàm priùs inutilem loquutionis modus manifeſtat. Bene eſt: Pollicitationem ſuam exequutus eſt ille Tudun; fecit quod ſe facturum promiſerat; Carolo cum populo etiam ſuo ſe ſubjecit;

baptizatus eſt cum eodem populo ſicut propoſuerat anno ſuperiore cùm ſe Carolo in ſubditum obtulit : Ergo eum Carolus baptizari coëgit ; quia ſponte promiſit primùm , & ſponte tandem exequutus eſt quod promiſit ; nec vlla prorſus in alterutro qualiſcunque mentio interjectæ coactionis indicatur.

§. 2.

Præter Annales verò quos hactenus perduxit ad extremum , habet aliud quod adjungat ; ne inania ſua exhauſiſſe momenta videatur. Subjungit ergo ſupradictis quòd *idem quoque* incertus Author vitæ Caroli Magni tradit his verbis : *Tunc Domnus Carolus Synodum habuit & Concilium publicum ad Paderburnam ; vbi Franci omnes & omni ex parte Saxones conueniunt : Ad idem etiam Concilium venerunt Saraceni de partibus Hiſpaniæ ; ibique multitudo Saxonum baptizati ſunt , & ſecundùm morem illorum omni modo ſe obligauerunt quòd non ampliùs immutarentur ſed chriſtianitatem in omnibus conſeruarent & Domno Regi Carolo & filiis eius fidelitatem.* Idem planè ac

ſupradicta hoc dicere potuit Lannoius; id eſt æquè inane, inutile, friuolum, impertinens ad propoſitum concludendum. Quid enim ſi Saxones ad Concilium Paderburnæ venerunt, ſi tam multi baptizati ſunt, ſi Chriſtianitatem promiſerunt ſe immutabiliter ſeruaturos? An propterea coacti ſunt vt vel baptiſmum reciperent vel ſic ſeipſos obligarent? Quod nec per vmbram ſignificant prædicta verba, nec omiſiſſent ſignificare ſi res ipſa hoc modo geſta eſſet: Cur cùm non dicant porrò nec inſinuent, id aſſerit nihilominus negatiuus Magiſter quaſi ſui non ſatis memor?

§. 3.

Sed coronidem his omnibus imponit planè dignam; id eſt eorum inſigniter inanitati & inutilitati reſpondentem. *Id totum* (inquit) *confirmatur ex eiuſdem Caroli Capitulari de partibus Saxoniæ, quod cum pluribus aliis eccleſiaſticæ rei monumentis Romæ nuper editum eſt curante Franciſco Cardinale Barberino & probante Raymundo Capiſuccho ſacri Palatij Magiſtro Ordinis Prædicatorum.* Tot ſcilicet circumſtantiæ tanti

erant vt plus aliquid putaretur quod annotator tam accuratus inde refert, ac mox cum illo referemus: Præſertim verò ad majorem emphaſim intererat omnino vt operis illius Approbator non tantùm ſacri Palatij Magiſter ſed Ordinis Prędicatorum diceretur; & ſic appendix tam ad nihil probandum idonea in propoſito & tam ad rem præſentem impertinens, ex tot & tam inſignibus titulis ac ex ipſo Prædicatorum Ordine ſuam authoritatem deriuaret; ne ſanctus Thomas cum diſcipulis quos poſtea eodem atque illum irreuerenti ſtylo vellicat præſumatur in contrarium opponendus; quod ipſe quidem ineuitabiliter oportere dormitans fingit, nemo vigilans putet. Sic parturire montes oportuit vt ex tam operoſo partu mus ridiculus naſceretur; non liber quidem quem non ambigo etſi nondum videre potuerim tum Eminentiſſimi Barberini curâ tum ſapientiſſimi Capiſucchi approbatione digniſſimum; ſed hoc fragmentum libri quod non ſapiens eminenter conſarcinator tam inaniter & extra rem vſurpat.

Vide, Lector, amabò, quàm extra rem, quàm inaniter, impertinenter, otioſè. *Sic autem* (inquit) *in Capitulari conſtitutum eſt numero* 18. *Similiter placuit his Decretis inſerere quòd omnes infantes infra annum baptizentur: Et hoc ſtatuimus vt ſi quis infantem intra circulum anni ad baptiſmum offerre contempſerit ſine conſilio vel licentia Sacerdotis, ſi de nobili genere fuerit, centum viginti ſolidos fiſco componat; ſi ingenuus, ſexaginta; ſi litus, triginta:* Vbi *liti* nomine (quod omiſit interpretari) ſeruituti dedititius intelligitur, & eatenus ingenuo qui ſuo jure viuit nec ab vllius dominio priuato pendet per antitheſim oppoſitus. Quid enimuerò ad rem hæc appendix? Agitur de adultis cogendis ad baptiſmum: Ille de infantibus agit, qui tales non ſunt vt cogi poſſint; ſicut nec tales vt etiam induci ſponte poſſint: Quaſi nobiſcum velut cum infantibus ac ſtolidis & diſcernere iſta non valentibus agat! Quid inanius? Infra terminum anni baptizandos infantes ex Decreto Caroli-Magni refert: An hinc inferat infantium etiam patres ad baptiſmum com-

pelli juſſos ? quaſi & illis ad baptiſmum ſuſcipiendum idem anni terminus præfigatur : Niſi potiùs (quod ſeipſo manifeſtum eſt) nihil infert ! Quid magis otioſum & impertinens? Iuſſionis illius de termino vnius anni pro baptizandis infantibus præfixo non alia ratio & cauſa eſt quàm vt eorum ſecuritati conſulatur , emergentibus periculis ac fortuitis quibuſcunque caſibus occurratur , ſaluti quantociùs fieri poteſt procurandæ prouideatur , neceſſitati tantæ ac incertitudini ſuccurratur , vtque adeo neceſſarij ſacramenti contemptus & irreuerentia præcaueatur aut parentum negligentia caueatur , qui ſupponuntur ſine dubio Chriſtiani jam eſſe , vt ex ipſo loquendi modo patet : Ergo-ne cogi ſignificantur ad baptiſmum quia intra terminum anni ſuos infantes ad baptiſmum afferre ac offerre jubentur ; niſi propter peculiares cauſas *cum conſilio & licentiâ Sacerdotis* (vt verba ipſa præ ſe ferunt) differre vlteriùs interdum poſſint quod ex ordinario vſu legitimè non poſſunt ?

Num hoc ipſum etiam ſimiliter toto terrarum orbe chriſtiano conſtitutum eſt vt infantes propter prædictas cauſas quàm citiſſimè baptizentur, niſi neceſſaria excuſatio ſubſit quæ à communi eos lege diſpenſet? Nec dubium quin qualiſcunque illa Caroli-Magni pro Saxonibus conſtitutio nihil aliud velit, nec de aliis quàm Saxonibus chriſtianis iam factis intelligi debeat; cùm & illud adjuncta præ ſe ferant, ac ex numeris præcedentibus apertiſſimè inferatur; præſertim verò ex numero 16. vbi oblationes jubentur dare quantum patitur chriſtiana facultas; vt & quædam alia ſubſequenti numero admonentur facere quæ non poſſint niſi de Chriſtianis dici, vel aliis quàm Chriſtianis conuenire; quin & ex totâ Capitularium horum ſerie (cuiuſcunque fidei eſſe poſſint) manifeſtum eſt ea poſt Eccleſias conſtitutas pro Saxonibus iam Chriſtianis lata eſſe, fallaciterque ad infideles detorqueri.

§. 4.

Sic nempe totum illud quod præmiſerat præſumit confirmari ne inani-

bus tot momentis quorum inanitatem oſtendimus, inaniſſimum defuiſſe coronamentum videretur. Nec tamen concludere dubitat (inſulſé-ne an faſtuosè magis, iudicet qui legerit) *Ex his omnibus luculenter apparet, primùm quòd Carolus-Magnus infideles Saxones ad ſuſcipiendum baptiſmum coëgerit; deinde quòd ex conſilio Epiſcoporum quos identidem congregabat coëgerit. Res opinor nulla eſt quæ vix magis inter homines conſtare poſſit.* Sed nos veriùs concludamus: *Ex his omnibus luculenter apparet Launoij abuſus duplex: Primùm quòd imperitè intellexerit vel fraudulenter perſuadere voluerit Saxonas infideles in totâ illâ narratione ad baptiſmum coactos indicari, aut vllum Concilium Epiſcoporum eo fine habitum vt de illis cogendis ageretur; cùm nihil tale nec narratio ipſa in vlla ſui parte, nec vel Paderburnenſe vel aliud quodcunque Concilium pro Saxonicis negotiis indictum contineat; ſed vel Chriſtianiſmum exteriori profeſſione ſaltem ſine vllo Caroli juſſu, quamuis ad arma eius eludenda, vltro amplexos eſſe ſignificet; vel ad profeſſionem illam iam ſuſceptam &*

mox perfidè abdicatam poſtliminiò reuocatos : Deinde quòd malo planè ac imprudenti (ne quid plus dicam) conſilio id inculcare voluerit vt veræ diſciplinæ commentitiam opponeret, ac legitimo & recepto vſui generali præſumptitium ſuum illegitimum vel non ſatis probatum anteferret. Res nulla, credo, quæ apud ſaniores iſtiuſmodi rerum Iudices magis conſtet, vel apud omnes qui prædicta legerint attentiùs. Conſtabit adhuc eò magis ex illis quæ ſequenti mox articulo ſubjungemus; & quæ ſolito aſtu ſuo (quamuis obtuſo ſemper) ex induſtria prætermiſit; quia ſe tam apertis illorum verbis euidenter conuinci ſentiebat. An enim non legiſſe videri velit magnificus Magiſter qui tam multa ſe reſpicere gloriatur, ſi legit frater quem tam pauca legentem tanto ſenſu compaſſionis valde dolet ?

Mirum porrò quòd non potiùs ex capite ſeptimo Capitularium prædictorum id objecerit : *Si quis deinceps in gente Saxonum inter eos latens non baptizatus abſcondere ſe voluerit & ad baptiſmum venire contempſerit, paganuſque permanere voluerit, morte moria-*

tur. Permittat ſaltem tam multorum inſpector à paucorum dumtaxat inſpectore nouum hoc argumentum ſibi ſuggeri, multò ſpecioſius quàm quod pro infantibus ex cap. 18. impertinenter inculcabat: Sed nec reſponſionem Fratris dedignetur Magiſter, quòd ad eos hoc pertineat qui cùm Pagani adhuc eſſent ſe Chriſtianos non ſuſcepto baptiſmo ſimulabant, ac inter Chriſtianos latebant ne Pagani ampliùs putarentur; & propterea digni erant hac pœna niſi vellent reipſa baptizari.

Cœterum ſi etiam annuentibus nobis (quod abſit) hoc haberet vt à Carolo-Magno Saxones infideles coacti eſſent ad baptiſmum, an Eccleſiæ Saxonicæ quæ adhuc nulla erat id appellare diſciplinam poſſit? Pergamus verò nec à Carolo prima vice coactos demonſtrare.

ARTICVLVS IV.

Veriſſimum potiùs eſſe quòd Saxonibus baptizari poſtulantibus & ſpontaneis non coactis baptiſmum dari præceperit Carolus-Magnus vel curarit; & quantumlibet ſuis armis oppreſſos conſilio dumtaxat ſuo ad poſtulandum illum & ad ſuſcipiendum incitarit.

QVID ampliùs requiri poſſit ad hanc partem ſufficienter aſtruendam quàm quod ſuperiori articulo ad oppoſitam deſtruendam diſceptatum eſt? inutiles, friuolas, & inanes objectiones explodendo quas Launoius velut ſolidiſſimas & firmiſſimas probationes oſtentabat. Vtique ſi nec vna illarum ſignificat coactionem quam probare tam operosè conabatur, nullam fuiſſe ſatis patet; quam recenſitæ ab illo hiſtoriæ non omiſiſſent exprimere ſi veram earundem authores credidiſſent; nec aſſerere illam debuit

perpetuus argumentator negatiuus quam oſtendere non poterat expreſſam; aut verorum etiam non inſpector eam imaginari fictitiè quam nulla ei verba in ſupradictis indicabant. Sed poſitiua ſubjungemus teſtimonia quæ id efficaciùs probent, nec rejici ab illo poſſint; quia æqualis (id eſt coætanei) ſunt Authoris, qualia tantùm ſe admittere velle toties jactat, vel ſupparia ſaltem vt loquitur. Ac ne tricari poſſit, poſitiua non tantùm appellamus quæ à Carolo-Magno non coactos infideles aſſerunt aut adductos ad fidem, ſed quæ coactionem nullo modo exprimentia vel etiam indicantia, modum alium ſubſtituunt coactioni prorſus repugnantem quem ad eorum conuerſionem adhibuit.

§. 1.

Sit ergo primum ſupradicti Authoris tam antiqui (nimirum Alcuini) teſtimonium, ſic ipſimet Carolo propter tantam conuerſionem epiſtolâ ſeptimâ gratulantis. *Gloria & laus Deo Patri & Domino noſtro Ieſu-Chriſto, quia in gratia ſancti Spiritûs per deuotionem & miniſterium ſanctæ fidei & bona*

voluntatis veſtræ, Chriſtianitatis regnum atque agnitionem veri Dei dilatauit, & plurimos longè latéque populos ab erroribus impietatis in viam veritatis deduxit. Qualis erit tibi gloria, ô beatiſſime Rex, in die æternæ retributionis, quando hi omnes qui per tuam ſolicitudinem *ab idololatriæ cultura ad cognoſcendum verum Deum conuerſi ſunt, te ante tribunal Domini noſtri Ieſu-Chriſti in beata ſorte ſtantem ſequentur, & ex his omnibus perpetuæ beatitudinis merces augebitur! Ecce* quanta deuotione & benignitate *pro dilatatione nominis Chriſti duritiam infelicis populi Saxonum per* veræ ſalutis conſilium *emollire laboraſti! Sed quia electio necdum in illis diuina fuiſſe videtur, remanent hucuſque multi ex illis cum diabolo damnandi in ſordibus conſuetudinis peſſimæ: Tuam tamen, ô veritatis & ſalutis multorum amator,* optimam voluntatem *majore gloriâ & laude Chriſto remunerare placuit: Gentes populoſque Hunnorum antiquâ feritate & fortitudine formidabiles tuis ſuo honori militantibus ſubdidit ſceptris;* præuenienteque gratiâ *colla diu ſuperbiſſima fidei iugo deuinxit, & cœcis ab*

antiquo tempore mentibus lumen veritatis infudit.

An per ſolicitudinem Caroli-Magni ad verum Deum cognoſcendum conuerſos eſſe perinde eſt Launoiano ſenſu ac ab illo coactos ? An per eius deuotionem vel per benignitatem duritia eorum emollita dicatur, ſi nolentes coëgit ac inuitos & obſtinatè reſiſtentes ? An conſilium veræ ſalutis in Lexico Launoiano coactio eſt ? An ſic optimam voluntatem explicet qua ſalutis multorum author fuit & magnam ſibi remunerationem Carolus comparauit, quantumuis multi peruicaces & obſtinati remanſerint ? Si per coactionem res geſta eſt, quidni coëgit omnes ? aut cur aliquos incoactos reliquit ? Quidni Hunnos perinde ac Saxonas dicatur coëgiſſe ? cùm & fidei iugo eos per illum Chriſtus deuinxiſſe dicatur, ſicut iſtos in viam veritatis ab erroribus impietatis deduxiſſe; ſimiliterque de Saxonibus ac de Hunnis dicatur quòd gratia vtroſque per illius miniſterium conuerterit vel ad cognitionem veri Dei ac fidem adduxerit ! Quidni ſi eos ad

baptiſmum ſuſcipiendum aut profitendam fidem cogere commendabile quiddam eſſet, id ad Caroli-Magni laudem putauiſſet addendum Alcuinus?

Quantum ab eâ porrò ſententiâ & cogitatione abſfuerit ſatis oſtendit inferiùs, cùm addit quòd *maximâ conſiderandum eſt diligentiâ vt ordinatè fiat prædicationis officium & baptiſmi Sacramentum; ne nihil proſit ſacri ablutio baptiſmi in corpore ſi in anima ratione vtenti Catholicæ fidei agnitio non præceſſerit:* Et paulò pòſt: *Igitur ille ordo in docendo virum ætate perfectum diligenter ſicut arbitror ſeruandus eſt quem beatus Auguſtinus ordinauit in libro cui* de catechizandis rudibus *titulum prænotauit:* Ex illo enim colligitur quòd *priùs inſtruendus eſt homo de anima immortalitate ac de vita futura* (& ſimilibus ad ſalutem pertinentibus) *atque hac fide roboratus & præparatus baptizandus eſt.* Aliter-ne feciſſe ſupponeret Carolum-Magnum, & laudaret ſic magnificè quod feciſſet, qui modum illum tam vitioſum & improbandum putat? Quòd non fecerit

porrò, euidentiùs adhuc & expreſſiùs ex adjuncto eiuſdem Alcuini teſtimonio contrarium penitus aſſerente patebit.

§. 2.

Alterum enimuerò teſtimonium illius eſt ex epiſtolâ Megenfrido Regalis Palatij Archario (id eſt Arcæ Præfecto) ſcriptâ; vbi ſic ait ad talentum euangelicum alludendo : *Qui pecuniam prædicationis accipiunt, diligenter conſiderare debent quid cuique congruat loco vel tempori, etiam & quo ordine prædicatio chriſtianitatis incipienda ſit vel perficienda : Nam Dominus noſter Ieſus-Chriſtus cum triumpho gloriæ ad paternam rediens ſedem Apoſtolis ſuis præcepit dicens*, Ite, docete omnes gentes, baptizantes &c. *Primò fides docenda eſt, & ſic baptiſmi percipienda ſunt Sacramenta :* Quod poſtquam Hieronymi teſtimonio ſuper illa Matthæi verba confirmauit, ſubjungit : *Fides quoque res eſt voluntaria & non neceſſaria, ſicut ſanctus ait Auguſtinus : Attrahi poterit homo ad fidem, non cogi : Poteris cogi ad baptiſmum, ſed non proficit fidei : Niſi infantilis ætas peccatis*

aliorum obnoxia confeſſione aliorum ſaluari non poterit: Perfectæ ætatis vir pro ſe reſpondeat quid credat aut quid cupiat: Et, ſi fallaciter fidem profitetur, veraciter ſalutem non habebit: Vnde & Prædicatores Paganorum populum pacificis verbis & prudentibus fidem docere debent. Nouit Dominus qui ſunt eius, & quorum vult cor aperit vt intelligant quæ à Doctore dicantur. Et poſt quædam alia interjecta: *Hæc tuæ* (inquit) *venerande amice ſcripſi dilectioni, quatenus tuis proficiant admonitionibus qui conſilium à te audire deſiderant: Scit enim hæc omnia optimè dilectus meus Dauid, cui Deus & ſapientiam dedit & bonam voluntatem, & plurimos conuertit populos ad charitatem Chriſti & laudem: Cui omnis potentia & bonitas ad benefaciendum ſufficit: Niſi vnum tantummodo propter tempora periculoſa huius ſæculi, quòd rariores habet adjutores in opere Domini quàm neceſſe ſit: Nullus tamen in mundo meliores (vt credo) habet quàm ille: Hos erudiat, admoneat, doceat ſecundùm ſapientiam ſibi à Deo datam &c.*

Nemo Carolum-Magnum non intelligat ſignificari per Dauidem,

quem ſic appellat paſſim propter analogiam Alcuinus, vt ex inſcriptione variarum Epiſtolarum patet. Sic epiſt. 1. *Domino piiſſimo, præſtantiſſimo, & omni honore digniſſimo Dauid Regi:* Epiſt. 3. *Domino deſiderantiſſimo & omni ſapientiæ decore clariſſimo Dauid Regi:* Epiſt. 4. *Domino dulciſſimo & verè dilectiſſimo Dauid, magnifico atque à Deo coronato Regi:* Epiſt. 5. *Omni virtutum genere nobiliſſimo atque omni ſapientiæ decore clariſſimo Dauid Regi:* Epiſt. 6. *Domino deſiderabiliter venerabili & venerabiliter deſiderabili Dauid Regi:* Epiſt. 8. *Deo dilecto atque à Deo electo Dauid Regi:* Epiſt. 12. *Domino in Domino Dominorum dilectiſſimo Dauid Regi:* Epiſt. 13. *Domino dilectiſſimo atque omni honore digniſſimo Dauid Regi:* Epiſt. 14. *Benedicto atque omni ſapientiæ decore præfulgido Dauid Regi:* Epiſt. 15. *Domino piiſſimo & præſtantiſſimo Dauid Regi:* Epiſt. 16. *Domino Dauid Rectori optimo, Victori maximo:* Epiſt. 17. *Domino meritò laudabili & omni charitatis officio amplectendo nobiſque nimiùm deſideratiſſimo Dauid Regi:* Epiſt. 18. *Domino deſiderantiſſimo Dauid Regi:*

Epiſt. 22. *Domino deſiderantiſſimo & omni honore digniſſimo Dauid patri patriæ :* Quin & in ipſo textu epiſtolæ 24. *Gloria & laus Deo omnipotenti pro ſalute & proſperitate veſtrâ, dulciſſime mi Dauid* &c. Quibus ad commendationem Caroli-Magni glorioſius dici nihil poteſt aut præclarius.

Optimé-ne ſciebat ergo Dauid ille myſticus Alcuini periculoſum eſſe vt aliquis cogatur ad baptiſmum quia coactè baptizato nihil baptiſmus ad ſalutem nihil ad fidem prodeſt ? & coëgit Saxonas tamen aut coëgiſſe præſumitur vt cum tam euidenti damno ſuo periculosè reciperent quod recipere detrectabant ? Aut inde laudat ſuum illum Dauidem Alcuinus quòd conuerterit eos tam ſalubriter, quos potiùs peruertit ſi coëgit inuitos? Ac non per oppoſitum laudat quòd eorum conuerſionem conſilio dumtaxat ſuo procurarit ? ac eatenus epiſt. 13. *Prædicatorem* vocat ?

Dicat nunc Launoius nullam rem eſſe quæ magis conſtare apud homines poſſit quàm quòd Saxonas coëgerit Carolus-Magnus ad baptiſmum; quia

nec illud recenſiti ab eo tam incerti Authores dicunt, & contrarium certus Author affirmat Alcuinus; quem propterea etſi coætaneum & geſtorum Caroli Magni tam apprimè conſcium indicare nec vmbrâ tenus dignatus eſt, quia ſibi tam euidenter aduerſantem. Nec vllum tam hebetem arbitror, niſi Launoianum, qui quod ſuprà dicebat, *Cogi poteris ad baptiſmum*, ſic intelligat moraliter quaſi fieri legitimè hoc poſſe indicetur; & non phyſicè tantùm, vt reipſâ fieri quidem poſſit, ſed illicitè fiat: Quod abſit vt putetur ſic à Carolo-Magno factum, aut ſic ab Alcuino commendatum fuiſſe præſumatur!

Hinc intelligi poteſt qua fide dignum videatur quod vt ex Alcuino vel fragmento cuiuſdam epiſtolæ ab ipſo exaratæ Vvillelmus Malmeſburienſis Monachus lib. 1. de geſtis Regum Angliæ cap. 4. refert; nimirum quòd *antiqui Saxones & omnes Friſonum populi Rege Carolo inſtante ac alios præmiis alios minis ſolicitante ad fidem Chriſti conuerſi ſunt*; cùm in integris Epiſtolis non extet ac prædictis

expreſsè contradicat : Quanquam ſi hoc dixiſſet Alcuinus, vt præſumitur, intelligi ad eius mentem ſic oporteret, quaſi alios æternorum promiſſione præmiorum, alios æternarum comminatione pœnarum, ad baptiſmum ſolicitarit Carolus-Magnus, vt Alcuinus ipſe Prædicatori faciendum ſuprà ex Auguſtino prænotauit.

Articvlvs V.

Vel Adriani primi ſenſum in epiſtola quam ad Carolum-Magnum ſcribit à Launoio intellectam non eſſe; vel illius teſtimonium ad Saxonum coactionem vt ab eo laudatam, approbatam, & Eccleſiæ ſuæ ſeu Romanæ traditam, fraudulenter obtendi.

PARVM autem eſt vt præmiſſas probationes quantumlibet inanes ac friuolas pro firmiſſimis & certiſſimis oſtentarit; parum quòd ex illarum negatiuâ loquutione aſtruere aſſertionem ſuam commentitiam & fictitiam præſumpſerit; parum quòd ſuppreſſerit aſſertiua & poſitiua teſtimonia quæ produxi tam certa, tam expreſſa, tam rebus ipſis geſtis coætanea; quia ſe illis conuincendum ſi exprimeret intellexit, nec aliunde producenda ſuſpicatus eſt ac in illius frontem regerenda; parum quòd aut ſeipſum ſic

deluſerit vtrobique, aut Lectoribus incurioſis illuſerit, quorum nimiam ſibi credulitatem certò ſpondet indubitanter aſſenſuram. Pergit etiam in eadem vel ſui vel eorum qui falli velint illuſione ſe ſic voluere vt ad Romanam quoque diſciplinam vel Pontificum Romanorum prætextitiam antilogiam vel antitheſim illudendam reflectat. Poſtquam enim ex inanibus tot momentis concluſit ſic euidens & ratum eſſe quòd à Carolo-Magno ad baptiſmum ſuſcipiendum coacti ſint Saxones vt nulla res apud homines magis conſtet, ſubjungit: *Sed vt omnis tergiuerſandi cauſa tollatur, ecce tibi Hadrianus Papa primus qui de coactis ad fidem Chriſti Saxonibus Carolo gratulatur in epiſtolâ 8. quam habet tomus 2. Conciliorum Galliæ!*

Haberi-ne ſic ibi putat, aut ſic legit niſi oculis vmbram pro veritate videntibus? Atqui Sirmondus qui hæc nobis Galliæ Concilia edidit, qui prædicto 2. tomo hanc epiſtolam repræſentat, quem *acerrimi iudicij virum* aliâ quadam occaſione cùm perperàm fauentem ſibi nactus eſſet agnouit, non

ſic habet : Imò, *De Saxonibus ſubactis atque ad Chriſti cultum & baptiſma perductis :* Quaſi primùm ſubacti vi armorum intelligantur, ſed ſubinde perſuaſione verborum ac virtute ad Chriſti cultum & baptiſma perducti : Vt vtrumque ſic impleretur quod epiſtolâ 97. in commendationem Caroli-Magni Alcuinus iterum dicit, *Gladius triumphalis potentiæ vibrat in dextera* (cùm ſubigeret nempe illos) *& Catholicæ prædicationis tuba reſonat in lingua*, cùm eoſdem ad Chriſti cultum & ad baptiſma perduceret : An Launoius non acerrimi iudicij vir Sirmondum iam abdicans, perinde putat eſſe *perductos* dici & *coactos ?* Niſi Tobiam coëgiſſe Raphaël dicendus eſt cùm eum duxit ac perduxit in Rages ; aut Michaël animas curæ ſuæ commiſſas *vt perducat in paradiſum exultationis* perducere non poteſt niſi cogat ; aut non ad propoſitum finem conſilio vel auxilio tantùm ſine coactione prorſus vllâ perduci quiſque poſſit.

§. I.

Ex Hadriani porrò verbis quæ

Launoius refert poſt Sirmondum; diſcutiamus aliquantiſper & ſummatim vter veriùs dicat, aut Launoius quòd coacti ſint, aut Sirmondus dumtaxat quòd perducti. Sic ergo Hadrianus correctè quidem apud Sirmondum, ſed apud Launoium corruptè: *Præſtolatos nimiſque optabiles regales veſtros ſuſcepimus affatus per fideliſſimum veſtrum latorem (ſiue Miſſum) quos reſerantes reperimus in eis de veſtræ præcelſæ regalis potentiæ ſinceriſſimâ & incolumi proſperitate: Pro quibus Redemptori mundi conſuetas retulimus grates: Magis autem inibi de veſtris à Deo præſidiatis regalibus triumphis comperientes, qualiter ſæuas aduerſaſque gentes, ſcilicet Saxonum, ad Dei cultum & ſacro-ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ rectitudinem fidei perduxeritis; atque Domino auxiliante & Petri Paulique Apoſtolorum Principum interuentione ſuffragante ſub veſtrâ eorum colla redacta ſunt poteſtate ac ditione; eorumque optimates ſubjugantes diuinâ inſpiratione* regali anniſu *vniuerſam illam gentem Saxonum ad ſacrum deduxiſtis baptiſmatis fontem: Vnde nimis ampliùs*

Non *minus optabiles* vt in Launoiano Exemplari.

Et hîc in Exemplari Launoiano *ſuffragantes* pro *ſubjugantes*: Ac paulò infrà *minùs ampliùs*.

diuinæ clementiæ retulimus laudes; quia noſtris veſtriſque temporibus gentes Paganorum in veram & magnam deductæ religionem atque perfectam fidem veſtris regalibus ſubſternuntur ditionibus.

Etiam-ne in iſtis verbis Launoius coactionem inueniat reipsâ? quibuſcunque, ſi modò ſanis, aſpiciat oculis, & quamcunque in partem verſet? An in verbo, *perduxeritis* (pro quo typographia eius habet *produxeritis*) Quaſi nemo perducat niſi cogens! Quod iam antea exploſimus: An in æquiualenti verbo, *deduxiſtis?* Quaſi perinde cogat qui deducit! Quaſi cùm Deus nos deducit ſuper ſemitas iuſtitiæ (Pſal. 22.) nos cogat! Quaſi petens in via Dei aut in illius mandatorum ſemitam ſe deduci (Pſal. 85. & 118.) cogi à Deo petat! Quaſi per vias rectas Deus iuſtum deducens (nempe Iacob Sap. 10.) coëgiſſe intelligatur, non auxilium præbuiſſe! An ergo coëgerit Saxonas ad baptiſmum Carolus Magnus quia deduxit? Sed an quidquam aliud in anniſu regali verè intelligere licet niſi conatum illum pium quem ad eorum con-

uerſionem adhibuit? nec adhiberi tam ſolicitum oportuerat ſi cogere non inducere voluiſſet; cùm iam armorum eius potentiâ ſubacti reſiſtendi vim non haberent; ſicut anniti planè operoſiùs oportuit (quod & Carolus fecit) vt eorum incredulitas, perfidia, obſtinatio conſiliis & perſuaſionibus flecteretur! Hoc laudat nempe Hadrianus ab illo factum, ſicut iam ſuperiùs Alcuinus laudabat; non aliquã omnino adhibitam coactionem aut vim qua eos ad baptiſmum ſuſcipiendum compulerit.

§. 2.

Et hinc nihilominus Launoius inferat more ſuo tam confidenter, vt & tam ridiculè? *Sic Saxonicæ ſic Gallicanæ Eccleſiæ diſciplinam commendat* (Hadrianus) *Quæ enim Saxonica eadem & Gallicana diſciplina vocari poteſt; ſiue quia Saxonica ex veteri Gallicanæ Eccleſiæ conſuetudine profecta eſt; ſiue quia Epiſcoporum Gallici nominis conſilio Carolus vtebatur.* Vix ridiculè magis concludere prædicta poſſit, quæ tam friuola & inepta & inania oſtendimus. Non ridiculum, quòd Eccleſiæ

Saxonicæ aliquam fingit eo tempore diſciplinam quo nondum vlla erat aut eſſe talis Eccleſia poterat, niſi eam Ethnici componebant? Non ridiculum vt Eccleſiæ Saxonicæ ſequutus diſciplinam dicatur ille ipſe qui omnes infideles repertos ad baptiſmum præſupponitur coëgiſſe, vel ſaltem verè dicitur perduxiſſe! Non ridiculum quòd eadem dicatur Saxonica & Gallicana diſciplina, quia ſcilicet Saxonica ex veteri Gallicanæ Eccleſiæ conſuetudine profecta eſt? Cùm vetus illa Eccleſiæ Gallicanæ præſumptitia conſuetudo Launoianum figmentum ſit, vt oſtendimus; cuius nullum exemplum ante Chilpericum affertur, quem alij iam Reges Chriſtiani tres aut quatuor præceſſerant; vnicum ſolum eius nec valde certum cùm in Galliæ tantùm parte regnaret; nullum deinceps illiuſmet poſtquam regnare in mediâ Galliâ totâ cœpit; nullum poſt illum niſi fallax & falſum Dagoberti; vel certè nullum prorſus cuiuſquam Eccleſiæ in Gallicano regno ſitæ, quod non ſubinde improbatum fuerit & placitis Pontificiis abdica-

tum, vt mox in Gregorio Magno videbimus.

Hoc ipſum porrò Launoio inprimis placet, hoc notare maximopere geſtit, in hoc totus incumbit quantum poteſt, vt inde Pontifices Pontificibus contrarios faciat, vt eorum proinde ſanctiones eludat, vt Romanam eludat diſciplinam, vt ei Gallicanam opponat & vt magis conſentaneam anteponat, ac reformari eam per Gallicanam probet! Quid enim vult aliud hæc inſcriptio? *Quæ Carolus-Magnus erga Saxones geſſit, Hadrianus primus probauit & probando ſua fecit, & ſic in Romanæ Eccleſiæ diſciplinam quodammodo intulit.* Verè quidem in prima parte inſcriptionis eius loqueretur, ſi hoc probatum ſolum ab Hadriano intelligeret quod feciſſe Carolum-Magnum oſtendimus, cùm per monita tantùm ſua & conſilia vel ad ſummum per comminationem ac terrorem diuini Iudicij Saxonas ad baptiſmum induxit: Sed cùm addat in textu de coactis ad fidem factum eſſe quod vel Carolus fecit vel Hadrianus approbauit, atque vt omnis tergiuerſa-

tionis cauſa tollatur hoc addere ſe ſignificet, nihil falſius ferè poſſit vel fallacius effutire, nihil quod in illius frontem à non tergiuerſantibus retorqueri confidentiùs aut regeri juſtiùs poſſit.

Quod in aliâ verò parte ſubjungit, Hadrianum ſua feciſſe illa quæ approbauit in Carolo & in Romanam diſciplinam ſic approbando tranſtuliſſe, vt inſinuet ad Romanam poſtmodum diſciplinam pertinuiſſe morem illum quem ſibi fingit infidelium ad baptiſmi ſuſceptionem cogendorum, quo id nomine appellemus? ridendum? indignandum? dolendum? illudendum? Vt in Romanam diſciplinam per Hadrianum tranſierit quod vel ſub Hadriano ipſo vel ſub Succeſſoribus eius Eccleſia Romana nunquam fecit, ſicut nec priùs factum erat; & quod fieri multis poſt Hadrianum annis Clemens tertius vetat? Vt Hadrianus qualecunque Caroli factum, ſi contrarium fingeretur, quàm Gregorij Magni ſenſum probare maluerit! Vt obſeruatam ante ſua tempora Eccleſiæ Romanæ diſciplinam propter

Extra de Iudæis & Saracenis cap. *Sicut Iudæi*: Vbi & cauſam reddit, quia *Chriſti fidem habere non creditur qui ad Chriſtia-*

norum baptiſmum non ſpontaneum ſed inuitus cogitur peruenire.

Caroli fictitium exemplum immutarit, & improbatum à Gregorio illo Magno Prædeceſſore ſuo de cogendis Infidelibus vſum in Eccleſiam ipſam ſuam Romanam induxerit! Vt ex Carolo Eccleſia Romana deſumpſerit mutuò quod ex illa potiùs ipſe pro inſigni & ſummâ erga illam reuerentiâ ſuâ deſumpſit! Vt eam docuerit cogere infideles & adigere ad baptiſmum inuitos, qui potiùs ab illâ non cogere ſed inducere didicerat, ſicut & verè fecit! Nec ignorabat porrò eccleſiaſticarum rerum peritiſſimus, qualem ſacri Annales notant, quid improbatum hac in parte ab Eccleſiâ Romanâ eſſet, quid probatum: Quod ſequens articulus repræſentabit ex profeſſo.

ARTICVLVS VI.

Romanam diſciplinam non eam tantùm quæ ſpeciatim Romæ obſeruatur ſed quæ per totum orbem de non cogendis ad baptiſmum Infidelibus obſeruanda ſignificatur, confirmari ſufficienter à Gregorio Magno & contrarium vſum vel potiùs abuſum improbari.

HOc Launoius ipſe de Romanâ fatetur vt Romanâ; id eſt, vt explicare ſolet, intra Romanæ vrbis muros vel prouinciæ fines terminoſque conclusâ; non vt etiam nomen illud ad omnes Eccleſias quæ ſunt Romanæ vbicunque communionis extenditur: Tametſi ſe adeo perplexum hac in parte oſtendat & adeo nutantem, vt neſcias an neget, an affirmet; an dicat, an non dicat; an conſentiat, an diſſentiat; an pro rato habeat & approbet, an contradicat & improbet; ſicut paulò pòſt in illius

ad Gregorium appendicibus expendemus. Nunc autem præmittendum ipſius Gregorij teſtimonium qualevnicum refert; ſed aliud poſtliminiò ſubjungendum eſt quod non refert; an diſſimulans? an ignorans?

Id ergo ſolùm refert ex epiſtola 45. libri primi ad Virgilium Arelatenſem & Theodorum Maſſilienſem ſcriptâ, ex qua Eccleſiæ Romanæ diſciplinam à nobis diſci notat. *Scribendi ad fraternitatem veſtram reddendique debitæ ſalutationis alloquium licèt nulla congrui temporis vel perſonarum eſſet occaſio, actum eſt vt vno in tempore & quæ decebant de dilectione proximitatis fraternæ perſoluerem, & quorundam querimoniam quæ ad nos delata eſt quomodo errantium ſaluandæ ſint animæ non tacerem. Plurimi ſi quidem Iudaïcæ religionis viri in hac prouincia commorantes ac ſubindè in Maſſiliæ partes pro diuerſis negotiis ambulantes ad noſtram perduxere notitiam, multos conſiſtentium in illis partibus Iudæorum vi magis ad fontem baptiſmatis quàm prædicatione perductos. Nam intentionem quidem huiuſmodi & laude dignam cenſeo & de Domini noſtri di-*

lectione deſcendere profiteor: Sed hanc eandem intentionem niſi competens Scriptura ſacra comitetur effectus, timeo ne aut mercedis opus exinde non proueniat, aut iuxta aliqnid animarum quas eripi volumus (quod abſit) diſpendia ſubſequantur. Dum igitur quiſpiam ad baptiſmatis fontem non prædicationis ſuauitate ſed neceſſitate peruenerit, ad priſtinam ſuperſtitionem remeans inde deteriùs moritur vnde renatus eſſe videbatur. Fraternitas ergo veſtra huiuſmodi homines frequenti prædicatione prouocet; quatenus mutare veterem vitam magis de Doctoris ſuauitate deſiderent. Sic enim & intentio veſtra rectè perficitur, & conuerſi animus ad priorem denuo vomitum non mutatur. Adhibendus eſt ergo illis ſermo & qui errorum in ipſis ſpinas vrere debeat & prædicando quod in his tenebreſcit illuminet; vt pro his admonitione ſequenti mercedem fraternitas veſtra capiat, & eos quantum Deus donauerit ad noua regenerationem vitæ perducat.

Vide mecum iam Lector, & mirare vel ride, quos in gyros quas in ambages quos in dædalos implicatus Magiſter ſe inflectat, reflectat, circum-

flectat! quàm inania rurſum & nihil prorſus ad inſtitutum ſuum pertinentia, quàm perplexa, quàm nutantia & in vtramuis partem declinantia, quàm inuoluta, quàm ſibi ipſi contraria inculcet, quàm à Gregoriano ſcopo aliena.

§. 1.

Inprimis, *ex hac* (inquit) *Gregorij epiſtola quæ ad annum Chriſti 591. ſcripta eſt, colligi poſſunt duo: Et primum quidem, tunc fuiſſe in Galliis qui Iudæos ad ſuſcipiendum baptiſmum cogerent; & eâ re nihil certius, vt in hac epiſtola Gregorius Papa & in hiſtoria Francorum Gregorius Turonenſis palàm oſtendunt.* Expendamus hoc primum, ac præſertim quantum ad Gregorium Papam ſpectat: Iam enim ſatis de Gregorio Turonenſi dictum eſt cùm ageretur de Chilperico Sueſſionum Rege à quo ſolo id ſemel factum notat, & ſic infeliciter factum vt occaſio nouæ damnationis aliquibus fieret qui corpore dumtaxat ſed non corde abluti ad priſtinam impietatem ſuam & perfidiam redierunt; ac propterea nunquam deinceps ab eodem, etiam cùm Galliæ

Rex fuit, repetitum; cæterùm longè inutilius ad inſtitutum præſens, quantumuis omni modo indubitatum eſſet, quàm quod ex Gregorio Papâ producitur. Annon hoc ipſum tamen inutile? Nihil eâ re ſit certius (tametſi non ſapientiſſima loquutio eſt) quàm quòd fuerint in Galliis nonnulli qui Iudæos cogerent ad baptiſmum: Indene probet hanc Eccleſiæ Gallicanæ fuiſſe diſciplinam? An *diſciplinam* quæ reprehendi à Pontifice tam prudenti & ſancto meruerit? An *Eccleſiæ Gallicanæ*, quæ in angulo tantùm Galliæ apud paucos inualuerat, ac de cuius abuſu reformando nonniſi duo in remotis Diœceſibus Epiſcopi quibus peculiaris erat admonentur? Scilicet Gallicanam duo Epiſcopatus diſciplinam faciant Launoio, ſicut antea tres fictitii Eccleſiam; vt in baptiſmo Clodouæi fingebat & à nobis ibidem exploſum eſt.

Fuerint ergo in Galliis nonnulli qui Iudæos cogerent ad baptiſmum: Id Gregorio Papâ ex multorum querimoniis aſſerente quis neget? quamuis dicat tam paucos extitiſſe: Sed

[redacted]

Digitized by Google

Eccleſiæ Gallicanæ hanc diſciplinam dici poſſe (quod inferendum eſſet) Launoio id è ſomniis dumtaxat ſuis eruenti & quantumlibet affirmanti quis credat? In Galliis fuerunt multò plures hinc illinc paſſim ſimoniacâ labe infecti, vt non ſemel dumtaxat ſed pluries & vehementer ex quorundam relatione conqueritur in epiſtolis Gregorius : Id lib. 4. Indictione 13. epiſt. 50. illi ipſi qui iam indicatus eſt Virgilio Arelatenſi Epiſcopo ſic ſcribit : *Noſtis quid beatus Apoſtolus gemens dicat*, Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu-Chriſti : *Quibuſdam namque narrantibus audiui quòd in Galliarum partibus nullus ad ſacrum ordinem ſine commodi datione perueniat* : Id lib. 9. Indictione 4. epiſt. 53. Theodorico Regi Francorum, epiſt. 54. Theodeberto Regi Francorum, epiſt. 55. Clothario Regi Francorum ſimiliter inculcat, & ad eam de regno ſuo auferendam ſingulos Reges illos hortatur; vt communem fuiſſe non dubium ſit pro qua interpellandi eſſent Reges : Concludat Launoius hanc Eccleſiæ Gallicanæ fuiſſe diſciplinam

quæ tam multorum fuit, ſi concludendum rectè putabat vſum qui tam paucorum fuit Gallicanam vocari poſſe diſciplinam: Quid alioqui concluderet?

Nec refert quòd grauiùs à Gregorio Simonia reprehendatur quàm coactio Iudæorum; quia in iſta ſaltem quædam zeli quamuis non rectè ordinati vel quædam pietatis licèt inordinatæ ſimiliter ſpecies erat; qualis in Simoniâ fingi non poteſt omnimodam impietatem apertiſſimè continente. Sed nec etiam refert quòd Simoniam Concilio Nationali Gallicano compeſci velit, nec de coactione Iudæorum tale quidpiam dicat; quia tam graue malum & tam commune, toto regno commiſſum paſſim, non alio poterat quàm communi & acri remedio facilè aboleri; poterat autem faciliùs priuato tantùm & mitiori remedio auerti coactio prædicta Iudæorum quam Epiſcopi duo ſoli prætextu pietatis & zeli vſurpabant. Sufficit verò eâ quomodolibet reprehendi, vt inutilis & abſurda intelligatur conſequentia iſta Launoiana, diſciplinam fuiſſe

Gallicanam quòd eam in Galliis aliqui vſurparent (etſi tam pauci duo tantùm) ſi abſurda eſt quadam proportione in Simonia, quam tamen toto regno tam multi exercerent. Et hinc etiam ſimiliter ſecundæ quam ſubjungit notationis inutilitas & abſurditas mox patebit.

§. 2.

Colligitur deinde (inquit *) Gregorium Papam ſuadere velle Galliarum Epiſcopis vt Iudæos ad ſuſcipiendum baptiſmum cogere deſiſtant: Gregorius igitur aliter in hac materia ſentit quàm Gallicani Epiſcopi; quod, ni fallor, ad Romanæ Eccleſiæ diſciplinam referendum eſt: Hæc autem vt admittatur in Galliјs diſciplina non tam ſtatuit quàm proponit.* Quid in tam paucis verbis tam confuſè ſibi vult & tam inutiliter ænigmaticus diſſertator? Quid eſt Gregorium ſuadere velle Galliarum Epiſcopis quaſi problematicum neſcio quid & priuato ſuo ſenſu conceptum vt facere deſiſtant, quod multorum querimoniæ ſatisfaciens faciendum non eſſe, quia periculoſum & nociuum, planè ac abſolutè denuntiat? Quid eſt Grego-

rium aliter in hac materia ſentire quàm Gallicanos Epiſcopos ? Quos verò ? Duos ? Quaſi duorum ſenſus qualiſcunque fuerit, contrario tot aliorum in Gallia vſui & ipſius Romani Pontificis ad quem talia paſſim referri ſolent judicio debeat vel opponi, vel (quod abſurdius eſt) anteponi ? Quid eſt, ad Eccleſiæ Romanæ diſciplinam videri referendum, vt ſic ſentiat Gregorius ? qui animarum diſpendia ex vſu illo ſequi tam ſapienter timet, ſicut plura experimenta docuerunt : Quaſi ad ſolam Eccleſiæ Romanæ diſciplinam hoc pertineat, vt animarum diſpendiis vel periculis occurratur ? Quid eſt quòd Gregorius hanc diſciplinam in Galliis admittendam non tam ſtatuat quàm proponat ? Quaſi ſtatui ampliori Decreto debuerit quod præter duos Epiſcopi Galliæ omnes, vbicunque Iudæi verſabantur, ſuo iam ſenſu obſeruabant ! Quaſi ſufficienter non ſit ſtatutum pro duobus qui ſoli contrarium introduxerant vſum, cùm ad illos priuatim reſcribitur ne hoc facere pergant ! Quaſi eis denuntiare ne fa-

ciant ampliùs quod non ſolùm in diſpendium animarum quas eripere debent ſed in propriæ quam expectant mercedis detrimentum ac damnum vergat, ſit proponere tantùm non ſtatuere! Quaſi valde interſit Launoij Pontificia inſtituta intra Romanos fines concludentis vt ſtatuiſſe Gregorius dicatur quod nec ab Epiſcopis Gallicanis recipi vellet ipſe, quomodocunque Gregorius expreſſiſſimè ſtatuiſſet!

Neque id planè hoc ipſo loco diſſimulat, cùm addit: *Decretalis non eſt epiſtola quæ ex ſacris Canonibus, vt Leo ante Gregorium loquitur vel vt Sylueſter ſecundus poſt Gregorium, promulgetur.* Tum ex Leone refert in epiſtola 1. ad vniuerſos Epiſcopos per Campaniam conſtitutos cap. 5. *Ne quid verò prætermiſſum à nobis fortè credatur, omnia decretalia conſtituta tam beatæ recordationis Innocentij quàm omnium Deceſſorum noſtrorum quæ de eccleſiaſticis ordinibus & Canonum promulgata ſunt diſciplinis ita à veſtra dilectione cuſtodiri debere mandamus vt ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps nouerit de-*

negari. Ac inde infert quod non quæcunque igitur Decretalia Romanorum Pontificum conſtituta obſeruari præcipit, ſed ea tantùm quæ de eccleſiaſticis ordinibus & Canonum promulgata ſunt diſciplinis. Deinde ſubdit quòd Syluester ſecundus in epiſtola ad Segninum, aut Seguinum Senonenſem Archiepiſcopum dicat: *Sit lex communis Eccleſiæ Catholicæ, Euangelium, Apoſtoli, Prophetæ, Canones ſpiritu Dei conſtituti & totius mundi reuerentiâ conſecrati, & Decreta Sedis Apoſtolicæ ab his non diſcordantia*: Ex quo demum concludit: *Sic igitur Gregorij epiſtola neque ex ſacris Canonibus nec de eccleſiaſticis ordinibus promulgata eſt*: Quorſum, niſi vt non recipiendam nec obſeruandam ſignificet?

Nunquam ne ſapienter Criticus, tam ſapiens à parum ſanè ſapientibus aut illius inſulſitates minùs expendentibus æſtimatus? An ſapienter intelligat quod Leo dicit? non ea ſolùm decretalia Deceſſorum ſuorum conſtituta quæ vel è ſacris Canonibus vel ex eccleſiaſticis ordinationibus deriuata ſunt obſeruari debere, ſed ex

illis fontibus deriuata potiùs ea eſſe quæ obſeruari iubet, vt eò magis indubitanter obſeruentur. Nam alioqui Leo quantâ ſeueritate vetat ne in Epiphania ſolennior baptiſmus conferatur! tametſi Launoius è ſacris Canonibus non eſſe ſumptum dicat nec ibi à Leone inuentum, vt pleniùs dictum eſt ſuo loco: Et tamen Launoio ſapientior Carolus-Magnus recipiendum ſanxit quia dixerat Leo, vt ibidem etiam oſtenſum eſt! Quot non alia quoque, non ipſius Leonis tantùm ſed aliorum Pontificum decretalia conſtituta, in Canonici Iuris Corpus introducta ſunt; quæ nec è ſacris Canonibus vel eccleſiaſticis ordinationibus deſumpta ſint; etſi nihil aduerſum illis aut ab illis diuerſum & abhorrens vel alienum contineant?

Sed minùs multò ſapienter intrudit ex Syluestro ſecundo, quod quamlibet ex illo ſumptum per hypotheſim demus, contra ſe per obtuſam admodum antitheſin conuinci poteſt protuliſſe. Nullam Sylueſtri huius poſt adeptum Sylueſtri nomen quod cum Pontificatu ſummo conſequutus eſt epiſtolam

niſi ad Epiſcopum Laudunenſem licuit inuenire: Multæ dumtaxat ſub nomine Gerberti qualis ante Pontificatum vocabatur, tomo 3. Bibliothecæ Patrum occurrerunt; & inter illas vna tantùm ad Senonenſem Archiepiſcopum ſupradictum Seguinum ſcripta ex perſona Hugonis Regis, quæ Launoio valde grata vix eſſe poſſit; cùm in eâ Rex ille ſtylo Gerberti ſic loquatur: *Eam fidem quam cæteri nobis firmauerunt confirmetis ob pacem & concordiam ſanctæ Domini Eccleſiæ totiuſque populi chriſtiani, ne fortè audiatis ſententiam Domini Papæ* &c. An verò ſic ſupremus qualiſcunque Pontifex loqueretur, *Sedis Apoſtolicæ Decreta ſint nobis lex?* cùm Sedem ipſe Apoſtolicam tenens parem habeat in condendis Decretis poteſtatem.

Quid hîc interim dicas, Lector? Etſi hæc epiſtola Launoiana putatitia Sylueſtrina prædictis locis nec à Sylueſtro nec à Gerberto ſcripta indicetur, eam Gerberti tamen eſſe conſtat, vt Baronius refert; ſed indignam quæ cum aliis eius tam numeroſis epiſtolis annumerari debuerit, quia in ſum-

mum Pontificem irreuerenti & ſchiſmatico ſtylo ſcriptam, vt Baronius rurſum notat: Et hæc intoleranda ſicut cæteræ paſſim tam ſinceri Critici fraus eſt, qua ſe deludi tamen cæci aſſentatores patiuntur, vt ſub Sylueſtri (Papæ facti) nomine citet quod Gerberti fuerat multò antequam ſummum ipſe Pontificatum conſequutus eſt & Sylueſter ſecundus appellatus. O impoſtorem!

Ita ſit porrò vt Syluester ſecundus id vbilibet vt Pontifex dixerit (ex hypotheſi non conceſsâ) quid eruere Launoius ex illis verbis ad inſtitutum ſuum poteſt? Concluſionem illam nempe quæ iam indicata eſt: *Sic igitur Gregorij epiſtola neque ex ſacris Canonibus nec de eccleſiaſticis ordinibus promulgata eſt.* Vt quàm directa concluſio ſit & logicalis valde pleniùs intelligas, formemus argumentum hoc modo ad figuram Launoianam (quartam, quintam, quamlibet voles) pertinente: Sedis Apoſtolicæ Decreta ſunt lex Eccleſiæ quando à Canonibus non diſcordant ſpiritu Dei conſtitutis & vniuerſi mundi reuerentiâ conſecratis,

tis, vt Syluester ſecundus dicit : Sed epiſtola Gregorij non eſt ex Canonibus promulgata : Ergo non eſt lex Eccleſiæ : Vel ſic : Epiſtolæ Pontificiæ quæ diſcordant à Canonibus, Decretales dicendæ non ſunt : Sed epiſtola Gregorij non eſt ex Canonibus promulgata: Ergo nec Decretalis dicenda eſt : Ne quære vtrobique medium, Lector, quod nec Ariſtoteles inueniat: Medium ratiocinatio Launoiana non agnoſcit.

Quid ſi nos non cum tanta ſubtilitate ſed in forma vulgari oppoſitum ſic inferamus ? Epiſtolæ Pontificiæ quæ non diſcordant à Canonibus ex Syluestri ſecundi mente cui ſe aſſentiri ſignificat Magiſter Launoius, lex Eccleſiæ dici poſſunt ac Decretales appellari : Sed epiſtola Gregorij à Canonibus non diſcordat : Ergo lex Eccleſiæ tam ex mente Syluestri quàm ex Launoij aſſenſu dici poteſt, ac Decretalis appellari. Subſumptum haud dubiè ridebit & cum riſu explodet; quia nempe medium non agnoſcens (vt notatum eſt) quicquid è Canonibus non promulgatur, putat à Cano-

ribus diſcordare: Nos verò qui putamus non diſcordare à Canonibus niſi quod Canonibus aduerſatur, quamuis expreſſum ibi non ſit, permittat inquirere ab illo cum venia quinam Canones decreuerint Iudæos ad baptiſmum cogendos, vt proinde quod Gregorius dicit non cogendos, intelligatur his Canonibus aduerſari: Si producere nullos poteſt niſi quos nouo jure vt Criticorum Princeps condat, quid ſupererit niſi quòd epiſtola Gregorij ex ipſa Launoij confeſſione ac Syluestri ſecundi præſumptitiâ theſi lex Eccleſiæ dici poſſit & appellari Decretalis? An Decretalis non videatur Launoio quia in Iure Canonico inter Decreta non habetur? Exhibeamus ergo ex eodem etiam Gregorio aliam quæ habetur, & in eundem ſenſum redit.

§. 3.

Ea eſt nempe quæ in Decretis diſtinct. 45. c. *Qui ſincerâ* ex 11. lib. epiſt. 15. Epiſcopo Neapolitano ſcriptâ ſic refertur quantū ad præſens: *Qui ſincerâ intentione extraneos à chriſtianâ religione ad fidem cupiunt rectam perducere, blan-*

dimentis non aſperitatibus debent ſtudere, ne quorum mentem reddita ad planum (vel ad plenum) ratio poterat reuocare pellat procul aduerſitas: Nam quicunque aliter agunt, & eos ſub hoc velamine à conſuetâ ſui ritûs volunt culturâ ſuſpendere, ſuas magis quàm Dei cauſas probantur attendere. Iudæi ſiquidem Neapoli conſiſtentes queſti nobis ſunt, aſſerentes quòd quidam eos à feriarum ſuarum ſolennitatibus irrationabiliter nitantur arcere, ne illis licitum ſit feſtiuitatum ſuarum ſolennia colere ſicut eis nunc vſque & parentibus eorum longis retrò temporibus licuit obſeruare: Quòd ſi ita ſe veritas habet, ſuperuacuæ rei videntur operam dare: Nam quid vtilitatis eſt, quando ſi contra longum vſum fuerint vetiti, ad fidem illis & ad conuerſionem nihil proficit? Aut cur Iudæis qualiter ceremonias ſuas colere debeant regulas ponimus, ſi per hoc eos lucrari non poſſumus? Agendum ergo eſt vt ratione potiùs & manſuetudine prouocati ſequi nos velint non fugere, vt eos (ex eorum codicibus oſtendentes quæ dicimus) ad ſinum matris Eccleſiæ Deo poſſimus adiuuante conuertere.

Omitto quòd iterum prædicto libro 1. epiſt. 33. Epiſcopo Taracinenſi ſcribit de Iudæis non perſequendis: *Præſentium lator Iudæus nobis inſinuauit quòd de loco quodam in quo ad celebrandas feſtiuitates ſuas Iudæi in Taracinenſi caſtro conſiſtentes conuenire conſueuerant tua eos fraternitas expulerat; & in alium locum pro colendis feſtiuitatibus ſuis te quoque conſentiente migrauerint; & nunc de eodem loco expulſos ſe denuo conqueruntur. Sed ſi ita eſt, volumus vt tua fraternitas ab hujuſmodi ſe querela ſuſpendat, & ad locum quem ſicut prædiximus cum tua conſcientia quo congregentur adepti ſunt eis liceat conuenire. Eos enim qui à religione Chriſtianâ diſcordant; manſuetudine, benignitate, admonendo, ſuadendo, ad vnitatem fidei neceſſe eſt congregare; ne quos dulcedo prædicationis & prætenſus futuri Iudicis terror ad credendum inuitare poterat, minis & terroribus repellantur.*

§. 4.

Ecce vt Gregorius vndequaque Iudæos ad baptiſmum aut ad religionem Chriſtianam compelli vetat; & iis quidem rationibus quæ ſimiliter om-

nes vbicunque terrarum Epiſcopos aut Magiſtratus auertere debeant propter defectionis periculum ne compellere illos velint! Et ad Romanam ſolùm diſciplinam vult Launoïus pertinere quam Gallicana correxerit, & fictitia quidem! Quid hoc verò eſt?

Imò, ne ad Romanam quidem niſi variabilem, & reipsâ ſub Hadriano primo, ſicut præmiſit, variatam. Hinc nugamenta illa noua, quæ tam inſulſa, tam inepta, tam inania, tam nihil probantia, tam exotica & ex falſis hypotheſibus rurſum illuſoriè conſarcinata Corollario primo & ſecundo ſubnectit. Sic nimirum Corollario primo: *Qui Gregorij primi epiſtolam cum Hadriani quoque primi epiſtolâ contendet, in Iudæis vel Infidelibus ad baptiſmum cogendis vnam vni, alteram alteri Papæ diſciplinam placuiſſe negotio nullo judicabit: Ex quo prorſus apparet Decretum circa diſciplinam hanc ab Eccleſia Romana nullum editum fuiſſe, quo ſcilicet hæc vel illa Iudæos & Infideles baptizandi coactè vel ſponte diſciplina ſanciatur. Hinc Gregorius Virgilio Are-*

latenſi & Theodoro Maſſilienſi ſuadet per epiſtolam Iudæos non eſſe ad baptiſmum cogendos : Inde Hadrianus de ſubjugatis Chriſto & Francicæ ditioni Saxonibus Carolo gratulatur. Gregorius & Hadrianus nouerant in eâ ſe verſari quæſtione de qua dici poterat quod beatus Auguſtinus ſcribit in lib.1.contra Iulianum c.6. Alia ſunt in quibus inter ſe aliquando etiam doctiſſimi atque optimi Regulæ Catholicæ defenſores ſaluâ fidei compage non conſonant, & vnus alio de vnâ re melius aliquid dicit & verius. Corollario autem ſecundo : *Poſt datam Virgilio Arelatenſi & Theodoro Maſſilienſi epiſtolam Gregorij Eccleſia Gallicana in accepta de baptizandis Infidelibus & Iudæis vt expoſitum eſt conſuetudine permanſit : Vnde ea non fuit Gregorij epiſtola quæ diſciplinam omnino præſcriberet, ſed quæ conſilium dumtaxat & monita daret. Præterea ſi Hadrianus diſciplinam hanc improbaſſet, id omnino feciſſet erga Carolum quod Toletani Concilij Patres erga Siſebutum fecerant : Non fecit, tametſi faciendi occaſionem ſi non majorem certè parem habuerit. Approbaſſet Caroli pietatem & ſtudium, ſed ne quid ſimile*

fieret poſtea juſſiſſet, aut ſaltem ad Gregorij Papæ primi exemplum monuiſſet: Nec juſſit, nec monuit.

Vix dici poſſit vtrum horum Corollarium ſit ineptius, & corollâ fœneâ magis dignum! PRIMO, quòd epiſtolam Gregorij ab Hadriani epiſtolâ diuerſam fingat, & Hadriano placuiſſe quod Gregorio diſplicuerat, quàm ineptum! cùm & ineptè præſupponat ab Hadriano approbatam fuiſſe de cogendis Infidelibus fictitiam & nullam diſciplinam. SECVNDO, quòd hac de re nullum Decretum Eccleſia Romana ediderat, vt indifferens concludatur, nunquid ineptum quoque ac impertinens? quaſi non illicitum ſatis videri poſſit quod rationi & iuſtitiæ diſſentaneum ſupponitur, niſi etiam illud Eccleſia Romana Canonico Decreto prohibeat aut ſupponatur prohibere. TERTIO, quòd Iudæos non oportere cogi moneat ſolùm & ſuadeat Gregorius, non præcipiat aut decernat, perinde impertinens ac ineptum eſt; cùm ratio monendi tam expreſſam & ſpectabilẽ obſeruandæ monitionis neceſſitatem

præ ſe ferat, vt animarum diſpendium & reſumendæ impietatis ac perfidiæ committendique ſacrilegij periculum ex eiuſmodi coactione pertimeſcendum caueatur. QVARTO, quòd Hadrianus de Saxonibus Chriſto ſubjugatis Carolo-Magno gratuletur; aut fraudulentum & fictitium omnino eſt, aut impertinens rurſus & ineptum: Si enim Chriſto intelligantur ſubjugati, quaſi ad Chriſtianam fidem adducti per vim & coacti, fraudulentum eſt & fictitium, vt ex prædictis patet: Si autem ſubjugati quia ſubditi iugo Chriſti, hoc eſt Religioni chriſtianæ addicti, quid ad præſens? cùm ſuauiter id eſſe factum per ſolicitudinem ſolam Caroli-Magni ſatis indicet Hadrianus, & expreſſiùs Alcuinus teſtetur. QVINTO, quòd Gregorius & Hadrianus in aliqua ſimili quæſtione verſari ſe nouerint quales indicat Auguſtinus in Iulianum ſcribens, nugæ! De dogmaticis rebus non de practicis ibi agit, ac propterea illas eis opponit *quæ ad ipſa fidei pertinent fundamenta*, ſicut peccatum originale paruulorum: In eiuſmodi porrò ſpe-

culatiuis rebus quæ ad fidei veritatem vel dogma non pertinent hæc varietas opinionum eſſe liberè poſſit: Quid ad praxim ex qua fidei deſerendæ vel committendi ſacrilegij periculum vniformiter timendum ſit vbique, ac proinde cauendum? SEXTO, quòd Eccleſia Gallicana poſt Gregorij epiſtolam nihilominus in accepta de baptizandis Infidelibus aut Iudæis conſuetudine permanſerit, ſiue cogere illos ad baptiſmum ſuſcipiendum perrexerit, iam vt ſomnium exploſimus: DENIQVE quòd eadem ratio Siſebuti fuerit & Caroli, ac propterea idem facturus eſſet Hadrianus erga Carolum ac antea in Siſebutum Toletani fecerant ſi Caroli ſimilem actum improbaſſet, quid niſi otioſa diuinatio & manifeſta ſuppoſitio falſi? vt rursũ patet ex prędictis. Non opus ergo auguria Launoiana obſeruare vt nullum inter Gallos & Gregorium diſſidium ſuperſit quod Eccleſiæ pacem turbet: Eam turbare Launoius deſinat, & pax erit. Sed nunc in Hiſpaniam quò nos deducit Româ tranſeamus.

ARTICVLVS VII.

Titubante aſpectu vel obliquo duplicem Eccleſiæ Hiſpanienſis diſciplinam circa Iudæos vel cogendos vel non cogendos ad baptiſmum à Launoio fingi; quin & in illam falſò ac fallaciter introduci.

MIRABERIS fortaſſe, Lector, ſicrem à me proponi tam audacter, cùm Siſebutum Regem conſtet Iudęos ad baptiſmum in regno ſuo ſuſcipiendum coëgiſſe, cogendos verò poſteriùs prohibuiſſe Siſenandum; ac propterea vtriuſque illius Regis factum tam contrarium Launoïus admodum rectè repræſentaſſe videatur. Mirari verò planè deſines vt opinor, cùm expenderis quàm immeritò in Siſebuti facto ſingulari, qui nec totius Hiſpaniæ Rex erat, generalem Hiſpanienſem fingat diſciplinam; quàm fallaciter pro Concilio Hiſpalenſi quod octo tantùm Epiſcoporum

fuit *Concilium Hiſpanienſe* ſubſtituat, quaſi ex Hiſpaniâ totâ conuocatum inſinuare per fallaciam illam velit; & quàm illuſoriè per argumentum ſuum negatiuum ex Concilij tam anguſti ne verbum quidem eâ de re dicentis judicio id approbatum velit ſub Siſebuto quod poſt aliquot annos in Concilio vero Hiſpanienſi ſeptuaginta propemodum Epiſcoporum expreſſiſſimè reprobatũ eſt ſub Siſenãdo.

§. 1.

De fictitiâ Hiſpanienſi diſciplinâ.

Vide in primis vt rem narret ad Siſébuti factum pertinentem, & quàm ſincerè inde inſtitutum concludat. *Siſebutus*, inquit, *qui ad annum 613. vel, vt alij volunt, ad annum 616. regnare cœpit in Hiſpania, Iudæos ad baptiſmum cogendos eſſe cenſuit; coëgit, baptizati ſunt ab eis quorum eſt hoc in Eccleſia munere defungi: Tunc nullus fuit qui de antiquâ Hiſpanienſis Eccleſiæ diſciplinâ violatâ conquereretur. Celebratum eſt anno 619. Hiſpanienſe Concilium, in quo de baptiſmo tali nihil agitur. Veriſimile non eſt Siſebutum Regem*

id baptizandi genus, ſi nouum atque inuſitatum fuiſſet, ſine conſilio Sacerdotum obſeruari voluiſſe.. Siſebutus anno 622. vitam deponit.

In tam breui ſerie quid non illuſorium, non confictum, non falſum, non ineptum inuoluit? Siſebutum iam notauimus in Hiſpaniæ tantùm parte regnaſſe quem regnantem in Hiſpania indefinitè facit vt vniuerſam inſinuet; Iam notauimus Concilium ſub regno Siſebuti habitum Hiſpalenſe fuiſſe, pro quo *Hiſpanienſe* ſcribit; vt quod octo dumtaxat Epiſcopi compoſuerant, compoſuiſſe Hiſpanienſes omnes viderentur: Iam eius Concilij reticentiam illuſoriè ac ineptè vrgeri notauimus, vt rem à Siſebuto geſtam intelligatur approbaſſe, quia de illa nihil dixit: Nihil autem de illa dixit, quia dicendi occaſionem non habuit, propter alias nempe cauſas poſt quinque annos conuocatum; nec ad Edictum Regis, quod præſertim prætextu pietatis latum fuerat, eo adhuc viuente reſcindendum aut contrariam legem ſtabiliendam in tam paruo Epiſcoporum cœtu ſe ſufficiens intellexit. Iam notauimus quàm non minùs illuſoriè

generalis Hiſpanienſis diſciplina ex facto vno vel Edicto Regio inferatur, quod non aliquis Eccleſiaſticus Canon quando actum vel confectum eſt approbauit, & quod ſubinde poſtquam actum vel confectum eſt primâ datâ occaſione improbauit.

Quid plus inferri ex aliis quæ notat poteſt? Vt quòd Iudæos illi baptizauerint quorum eſt hoc munere in Eccleſia fungi: Nimirum, quia ſibi oblatos quamuis inducti priùs per vim regiam eſſent cujus eſſe judices non poterant, iam tamen ſponte poſtulantes baptiſmum crediderunt: Quòd nullus de antiqua Hiſpanienſis Eccleſiæ diſciplina per Siſebutum tunc violata ſit conqueſtus: Nimirum quia nec ab antiquo vlla facta fuerat ex profeſſo de non cogendis ad baptiſmum, ſed vſus tantùm præextiterat nulla lege firmatus, cuius immutatio materiam ſufficientem conquerendi de violata diſciplina (maximè verò intercedente pietatis prætextu) non præberet: Quòd Siſebutum veriſimile non ſit hoc obſeruari ſine conſenſu Sacerdotum & conſilio voluiſſe,

ſi nouum & inuſitatum fuiſſet, nec iam diu in Hiſpania vſitatum: Nimirum quia ſatis exiſtimauit ad id aggrediendum Siſebutus vt pium eſſet vel videretur, quamuis nouum; & alioqui nec de antiqua diſciplina nec de anteriori vſu quidquam tantillum dicit vnde ſuum illud Edictum vel eius occaſionem ſe deſumpſiſſe ſignificet. Sic enim habent eius verba quæ Baronius ex legibus VViſigothorum libro 12. tit. 3. lege 3. in eccleſiaſticis annalibus ad annum Chriſti 614. numero 39. refert: *Cùm veritas ipſa petere & pulſare nos doceat, præmonens quòd regnum cœlorum vim patitur, in nullo eſt dubium quòd ille indulta gratiæ munus abhorreat qui ad eam procedere ardenti animo non feſtinat. Proinde ſi quis Iudæorum, de his ſcilicet qui nondum ſunt baptizati, aut ſe baptizare diſtulerit aut filios ſuos vel famulos ſuos nullo modo ad Sacerdotes baptizandos remiſerit vel ſe ſuoſque de baptiſmo ſubtraxerit; & vel vnius anni ſpatium poſt legem hanc editam quiſpiam illorum ſine gratia baptiſmi tranſierit, horum omnium tranſgreſſor quiſquis ille repertus*

fuerit, centum flagella decaluatus ſuſcipiat, & debitâ mulctetur exilij pœnâ; res tamen eius ad Principis poteſtatem pertineat, qualiter ſi incorrigibilem durior eum cuſtodierit vita, perpetua in eius cui Princeps largiri voluerit poteſtate permaneat: Id eſt planiùs conſtruendo: Ad poteſtatem tamen Principis pertineat qualiter illius res quem incorrigibilem durior vita cuſtodierit perpetuæ in eius poteſtate permaneant cui Princeps largiri voluerit. Vetus-ne ibi diſciplina? Si vetus, cur exemplum illius non affertur? cur non aliqua mentio fit? cur iſtâ nouâ lege decernuntur cogendi, qui proinde antea nuſquam cogi ſoliti ſupponuntur? Vbi mentio quoque Sacerdotum quos eo caſu conſuluerit Siſebutus vt legem illam ferret? An Eccleſiæ diſciplina dicatur ciuilis lex & à Principe lata? quam vt aliqui Sacerdotes aliquandiu tolerauerint, quia Regiæ poteſtati quod opponerent non habebant, vel pietati ſpecioſo pretextu fultæ contradicere noluerunt, eam poſt paucos tandem annos regnante nouo Rege Hiſpanien-

ſes omnes in eius regni generali Synodo Epiſcopi & cenſuerunt improbandam & abrogandam decreuerunt? Ex illo ergo Siſebuti Edicto diſciplinam Hiſpanienſis Eccleſiæ non minùs bene Launoius diuinet quàm ex facto antea Chilperici & ex præſumptitio baptizantium nutu Gallicanam iam diſciplinam diuinauit. Sed quænam verè Hiſpanienſis diſciplina fuerit, nunc videndum.

§. 2.

De vera, recta, & legitima Hiſpanienſi diſciplina.

IAM ſuppoſuit illam & indicauit Launoius; tametſi pro variâ dederit & alteri hactenus à ſe præſumptæ oppoſitâ, quam nos volumus vnam, ſimplicem, vniformem; quia nec illam præcedentem preſumptitiam agnoſcimus, aut Launoio agnoſcenti agnoſcendamque ſuadere conanti aſſentimur. Vna ſit ergo illa quam Concilium Toletanum ex Epiſcopis Hiſpanienſibus vniuerſis conflatum anno 633. cap. 55. ſic ſanciuit, & quæ

diſtinct. 45. in Decretis refertur: *De Iudæis præcepit ſancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre: Cui enim vult Deus miſeretur, & quem vult indurat: Non enim tales inuiti ſaluandi ſunt ſed volentes, vt integra ſit forma iuſtitiæ: Sicut enim homo proprij arbitrij voluntate ſerpenti obediens periit, ſic (vocante ſe Dei gratiâ) propriæ mentis conuerſione quiſque credendo ſaluatur. Qui autem iampridem ad Chriſtianitatem venire coacti ſunt, ſicut factum eſt temporibus religioſiſſimi Principis Siſebuti, quia iam conſtat eos Sacramentis diuinis aſſociatos & baptiſmi gratiam ſuſcepiſſe & chriſmate vnctos & corporis Domini & ſanguinis extitiſſe participes, oportet vt fidem etiam quam vi vel neceſſitate ſuſceperunt tenere cogantur; ne nomen Domini blaſphemetur, & fides quam ſuſceperunt contemptibilis habeatur.*

Et iſta quidem refert etiam Launoius vt Hiſpanicam diſciplinam poſteriorem probet; ſed ſic ieiunè commentatur vt vix non ſibi totum illud ingratum eſſe vel ex aliqua ſaltem parte diſplicens ipſo ſuo loquendi modo ſignificet. *Cur autem* (inquit) *id*

ita Synodus decreuerit, *opportunam vt ſibi videtur ex Scripturis rationem exprimit & infert Canoni ſuo. Quò autem Scripturæ hoc in loco ſpectent & quam de prædeſtinatione ſententiam objiciant expendere inſtituti non eſt mei: Eccleſiaſticæ diſciplinæ hiſtoriam expono.* Egregium expoſitorem! qui quæcunque vult fingat, ingerat, exaggeret, quantumuis exotica vel falſa vel abſurda; quæcunque non vult rejiciat, ſupprimat, exterminet, quantumuis authentica & vera & ſolida & ſana, ſinceræque ac rectæ prorſus conſentanea rationi! Vidiſti Lector quàm operoſè ſategerit vt ſupradictum Siſebuti Edictum (quamuis non ſatis æquum à Concilio Toletano iudicatum ſit) in Eccleſiæ diſciplinam videri poſſet apud omnes Hiſpanos tranſiiſſe: Vide nunc vt jeiunè de Concilio ipſo Toletano, quod Concilium tamen Hiſpaniæ totius fuit, velut nauſeabundus per contemptum loquatur! *Opportunam vt ſibi videtur* (inquit) *è Scripturis exprimit rationem:* Non ergo verè ac reipsa ſed ſolummodo putatitiè opportunam, & qualem ſibi Concilium per viſio-

nem finxit! Quid hoc verò eſt niſi Decreto Concilij per phanaticas (id eſt Launoianas) viſiones veluti per obductam oculis laruam irreuerenter illudere? Cur autem opportunam non putet ipſe quam Epiſcopi ſeptuaginta in Concilio congregati reipſâ opportunam vnanimiter iudicarunt? Cur tam inſignis Expoſitor interpretationem aliquam ſuam non appoſuit quam opponeret Concilio, ne inſtitutum ſuum de non cogendis ad baptiſmum Iudæis concluſiſſe hinc rectè probaretur? Cur inſtituti ſui hoc non eſſe putauit, vt frigidè dicere contentus eſt? ſi ſui tamen inſtituti putauit eſſe vt rationem exploderet à Concilio tam numeroſo approbatam? Cur & aliam rationem diſſimulauit modò aut ſine vllâ reflexione præteriit quam huic annexuerat Concilium per appendicem vt illius explicatio quædam eſſet, quòd *vt integra juſtitia ſeruetur forma ſaluandi ſunt volentes non inuiti?* Et quid iuſtius? quid rationabilius? quid Scripturis congruentius? Quamuis obſtabit paulò infrà, ſed inaniter.

Hæc ergo vera, hæc authentica,

hæc ſincera, Launoi, Eccleſiæ Hiſpa-nienſis & canonica diſciplina, quam Epiſcopi tanto numero congregati ſanxerunt, quam ab illis acceptam Siſenandus totius Hiſpaniæ primus Rex abdicato Edicto Siſebuti per totum regnum ſuum Hiſpanienſe obſeruari præcepit. Nec id prætermittendum quis & qualis fuerit Siſenandus, quàm ſolicitus rerum ad Eccleſiam pertinentium, quàm deuotus ac pius eccleſiaſtici miniſterij ac præſertim Epiſcoporum venerator, quàm accuratus obſeruator eorum quæ ad bonum regimen Eccleſiæ neceſſaria iudicarent, quàm ſolers & anxius talium Decretorum ſtatuendorum inſtigator! De quo in Concilij ſupradicti præfatione ſic Epiſcopi magnificè loquuntur: *Cùm conueniſſemus omnes Sacerdotes Domini apud vrbem Toletanam regiis imperiis atque iuſſis commoniti vt à nobis agitaretur de quibuſdam Eccleſiæ diſciplinis Tractatus, primùm gratias Saluatori noſtro Deo omnipotenti egimus: Poſt hæc antefato miniſtro excellentiſſimo & glorioſo Regi; cuius tanta erga Deum deuotio extat vt*

non ſolùm in rebus humanis ſed etiam in cauſis diuinis ſolicitus maneat. Hic quippe dum in Baſilica beatiſſimæ Martyris Leocadiæ omnium noſtrûm pariter cœtus adeſſet, pro merito fidei ſuæ cum magnificentiſſimis & nobiliſſimis viris ingreſſus primùm coram Sacerdotibus Dei humi proſtratus cum lacrymis & gemitibus pro ſe interueniendum Domino poſtulauit: Deinde religioſâ proſequutione Synodum exhortatus eſt vt paternorum Decretorum memores ad conſeruanda in nobis iura eccleſiaſtica ſtudium præberemus, & illa corrigeremus quæ dum per negligentiam in vſum venerunt, contra eccleſiaſticos mores licentiam ſibi de vſurpatione fecerunt. En ſub quali & quanto Rege Concilium habitum, quàm conſultò decretum quod in eo actum eſt, quàm à Sacerdotibus Dei per ipſam Regis pietatem inſtantiſſimè poſtulatum quod ad rectam & legitimam Eccleſiæ Hiſpanienſis diſciplinam neceſſarium videretur! Et ibi Canon de Iudæis editus ad baptiſmum ſuſcipiendum non cogendis: Num hæc veriùs Eccleſiæ Hiſpanienſis diſciplina, Launoi, quàm quæ à te ſub Siſebuto præ-

ſumitur ? quamuis de illa jeiuniùs ac frigidiùs loqui quàm de alia volueris, quia tibi penſum eſt quaſi conductus ad id eſſes vt præpoſtera & obliqua æquis ac rectis anteponas.

§. 3.

De figmentis Launoianis contra ſolidam Patrum Toletanorum rationem inductis.

NEc ſatis ei porrò de Concilio Toletano ſic jeiuniùs & frigidiùs loqui: Pergit exequi quoque quod omiſerat priùs, id eſt alteram eius rationem ſuo calculo ſubjicere; vt quanti ſit momenti expendat, & componat cum fictitia illa qua motos eſſe in contrarium Gallos comminiſcitur vt Iudæos cogerent ad baptiſmum : Hoc enim eſt quod proſequitur Corollario ſuo tertio, tum in ipſa inſcriptione tum in textu. *Ex iis* (inquit) *quæ cùm ad Gallicanam tum ad Hiſpanienſem ſpectant Eccleſiam perſpicuum eſt Hiſpanos in Toletano Concilio* 4. *eâ motos fuiſſe ratione quæ Gallos nec antea mouerat, nec tunc ſub Dagoberto Rege nec*

poſtea ſub Carolo mouit. Galli quippe noſtri non crediderunt in cogendis ad baptiſmum Gentilibus & Iudæis contra iuſtitiam peccari quando coactorum ſalus procuretur; arbitrati ſunt felicem eſſe neceſſitatem quæ ad meliora compellat; humanam libertatem perfici potiùs quàm minui, dum ne quis eâ in propriam abutatur perniciem, impeditur.

Iam inſtituti ſui putat eſſe quod ſuperiùs non putabat, vt circa rationem Synodi Toletanæ philoſophetur, aut vt honorificentiùs dicam theologizet; nec eccleſiaſticam ſolùm hiſtoriam exponat ſicut valde ſincerè facit, ſed plus aliquid ſibi permittat pari ſinceritate ſemper & ſucceſſu. Quàm auſpicatò ac ſincerè, ſatis ex antedictis intelligere potes, Lector, ſi ea reuocare in memoriam velis. Memineris quàm falsò diſciplinam dixerit Gallicanam antiquam & receptam vt ad baptiſmum cogerentur Iudæi, quia ſemel coëgit eos Chilpericus, vtcumque verum ſupponatur quod Chilpericus fecit. Memineris quàm Gregorius Turonenſis vnicus huius facti narrator illud infeliciter ſucceſſiſſe

indicet; quia multi non corde ſed corpore abluti ad priſtinam impietatem ac perfidiam redierunt; & quàm ſcientificè ac moraliter inde colligi poſſit procurata Iudæis per baptiſmum coactum ſalus. Memineris quàm baptizari multos tantùm dicatur præcepiſſe, non omnes; quidni autem etiam omnes ad omnium ſalutem procurandam, ſi hoc motiuum inferendæ coactionis fuit? Memineris quàm Chilperico eà ratio conueniat quem poſt homines natos refert ſceleratiſſimum fuiſſe Launoïus ex Gregorio Turonenſi; & qui deinceps nullum legitur coëgiſſe, quaſi tam ſalutarem ac moralem cogendi rationem oblitus. Memineris quàm nullus ante Chilpericum Rex Chriſtianus pro Iudæis aut pro aliis Infidelibus hoc tentauerit, nullus poſt Chilpericum pro Iudæis hoc tentauiſſe à Launoïo referatur; cùm tamen in Gallia tam ante quàm pòſt multi ſaltem Iudæi ſub Regibus fuerint. Memineris quàm fictitiè Dagobertus dicatur infideles Gandaui habitantes ad amplectendam fidem & ad baptiſmum ſuſcipiendum

cipendum coëgiſſe ; cùm præceperit ſolùm vt miſſum ad ſe Prædicatorem Euangelicum reciperent, quem tamen miris modis præcepto illo non obſtante vexarunt : Nam aliud exemplum Dagoberti quod infrà ſubjungemus pertinens ad Iudæos ne verbo quidem Launoius attigit, nec admodum præſenti eius moralitati conueniret ; vt ex relationis textu ac tenore patebit. Memineris quàm fictitiè rurſus & quàm falsò Saxonas infideles Carolus-Magnus coëgiſſe dicatur ad baptiſmum ; cùm non aliter quàm per miraculoſæ viſionis terrorem ad baptiſmum petendum incitati primùm ſint ; non aliter coacti à Carolo niſi deinceps vt ſuſceptum baptiſmum à quo apoſtatarant retinerent ; nec ad ſuſcipiendum illum primò per vim aliam quàm verborum efficaciam virtutemque perducti, vt ex priùs relato Alcuini teſtimonio patet. Memineris denique qualis in procuranda Infidelium conuerſione ſenſus Caroli-Magni ex Alcuino ipſo iam relato fuerit, & quàm à cauſis illis inferendæ coactionis abfuerit quæ Launoio

tam rationabiles & tam æquæ videri potuerunt; cùm contrariæ illum potiùs rationes mouerint ad leniter docendos eos quos baptizari vellet, non cogendos. Hinc intelliges quàm apprimè Launoianum Corollarium hæc exempla concludant, motos eſſe his cauſis Gallos vt Infideles vel Iudæos coactè baptizarét. Illis equidem Epiſcopos prædictos duos quos reſumere nunc neglexit aut oblitus eſt, ſatis probabiliter motos eſſe præſumat; ſed an ſatis ad Gallos indefinitè inferendos id putet? aut nihili æſtimet quòd ſint à Gregorio Magno propter hoc ipſum reprehenſi?

Tanti-ne porrò rationes illæ ſint quas diuinat à Gallis cogitatas ac velut ex eorum nomine tam ſecurè venditat quaſi actor ipſorum vel interpres? An prima nempe, *juſtitiam non violari, cùm coactorum ſalus procuratur?* Sed eam procurari coactione adhibitâ quàm certò probet! ex qua potiùs conſequatur pernicioſa peruerſio, damnationis periculum grauius, occaſio abominandi ſacrilegij manifeſta. Quàm luculenter tam ſalubris

ratio conueniat cum Gregorio Magno! quem ipſe ſuperiùs dicentem referebat quòd *cùm ad baptiſmatis fontem neceſſitate peruenerit quiſpiam, ad priſtinam ſuperſtitionem rediens deteriùs inde moritur vnde renatus videbatur!* Quàm luculenter Gregorio ſuo Turonenſi conuenientem inueniat! ex quo notabat quoque ſuprà quòd multi Iudæorum quos baptizari Chilpericus iuſſerat, *ad priorem quam habuerunt perfidiam Deo mentiti regreſſi ſunt!* Quàm luculenter cum Alcuino! quem nec inſinuare dignatus eſt, quia ſibi omnino aduerſantem; ſed nos etiam retulimus dicentem *Sacramentum baptiſmi ordinatè adminiſtrandum eſſe, ne nihil proſit* &c. & hoc Dauidi ſuo (id eſt Carolo-Magno) licèt Gallorum Regi notum eſſe addentem! Sic igitur digna ſit valde prima iſta ratio quam à Gallis excogitatam indefinitè dicat vel diuinet! Ad eos poſſit pertinere qui chriſtianam fidem iam profeſſi ſunt, adeoq; ad illam ex ipſa præcedenti profeſſione obligantur, & ad id iuſtè cogi poſſunt; vt Auguſtinus de Apoſtatis hæreticis indicat epiſt. 50. & factorum

Caroli Magni relatio præmiſſa ſuperiùs de Saxonibus poſt baptiſmum ad infidelitatem reuerſis indicabat : Sed vt ad illos pertineat qui nec profeſſi priùs fidem fuerint nec omnino nunc velint profiteri, diuinatio Launoiana non Gallorum cogitatio dici poteſt, qualem antiquam communemque prætexit ! An ſecunda ratio plus valeat, *felicem eſſe neceſſitatem quæ ad meliora compellit ?* Quod vtique ab Auguſtino epiſt. 45. de illo dictum qui ſeruandæ continentiæ neceſſitatem ſibi vltro per votum à ſe factum impoſuerat ; ſed quid ad eos quibus reluctantibus & inuitis imponi ſupponitur ab extrinſeco violenta & aliena neceſſitas ? quæ non compellat vt plurimùm ad meliora, ſed peiorum occaſionem ſubminiſtret ! An demum rationis tertiæ maius eſſe momentum poſſit ? nempe *humanam libertatem perfici potiùs quàm minui dum impeditur quiſque ne in propriam perniciem hac libertate abutatur :* Apprimè quidem in his rebus perficiendis quas humana ratio dictat, quæ ad humanos mores naturaliter ſpectant, quibus ex ipſa

ratione humanitatis homo quilibet obligatur, vt naturali rationi eas præcipienti vel prohibenti ſe conformet: Sed an etiam in his quæ naturam excedunt, quæ humanâ perſuaderi ratione non poſſunt, quibus nemo inhæret vel conſentit niſi & Deo intellectum illuminante vt cognoſcat & cor tangente vt cognita diligat & dilecta libenter amplectatur? Inde nimirum periculum ſacrilegij ſi profiteri quis cogatur quæ neſcit, quæ non credit, quæ ſpernit; adeoque iuſtior cauſa non cogendi, vt prædictum eſt.

§. 4.

Toletani Canonis tenor à Launoio rurſus nouis phantaſmatibus & figmentis eluſus.

INSTAT rurſus ad ſenſum Toletani Canonis detorquendum aut eludendum nouâ ſubtilitate, quæ quàm ſit ſagax & acuta expende, Lector: En quid immediatè poſt prædicta ſubjungat. *Neque verò Toletani Concilij Patres quod Siſebuti Regis temporibus*

factum fuerat condemnant, ſed tantùm ne quid apud ipſos ſimile fieret in poſterum decernunt. Quid hîc cenſes? An Siſebuti factum non condemnarunt, quia expreſsè non dixerunt egiſſe malè Siſebutum? An ſi honori religioſiſſimi Regis vt appellant reuerentiâ quadam indulgentes, vel pio eius affectui licèt non ſatis ordinato parcentes, exprimendum effectum cum aliqua cenſuræ notâ non putarunt, quia & inutile tunc fuiſſet, præſumi debent approbaſſe? Non ſatis condemnaſſe videntur implicitè, cùm illud quod fecerat non faciendum decreuerunt *vt forma juſtitiæ integra ſeruaretur?* Aut quidnam hoc eſt niſi priùs in Siſebuti facto non fuiſſe ſeruatam? & quid rurſus niſi feciſſe malè Siſebutum, qui iuſtitiæ nempe in illo facto ſuo formam integram non ſeruarit?

Quid inde verò iam concludit, acutè ſicut priùs & ſubtiliter? *Ex quo accidit* (inquit) *vt hæc in cogendis vel non cogendis ad Chriſti fidem Gentilibus & Iudæis diſciplina ad earum rerum genus pertineat in quibus licet vnicuique prouinciæ ſentire atque agere quod voluerit*

donec vniuerſalis Synodus aliter conſtituerit. Mirum in modum planè accidat illud & per accidens valde, ſi colligi ex dictis poſſet: Nam per ſe nunquam colligetur. An diſciplina de cogendis Infidelibus quæ fingitur fuiſſe in Galliis nec fuit, & quæ propter Edictum vnum politicum paulò poſt reprehenſum à Concilio 70. Epiſcoporum & abrogatum præſumitur in Hiſpania extitiſſe, vel contraria diſciplina de non cogendis quæ verè ac reipsâ in Hiſpania fuit, quia per Concilium generale Hiſpanienſe ſtabilita, rectè ad illud genus rerum præſumenda ſit pertinere in quibus licet vnicuique prouinciæ ſentire vel agere quod voluerit? Præſertim cùm ratio quæ probat non cogendos, ex principio deſumatur ad prouincias omnes pertinente; putà ex diſpendio animarum, ex periculo regreſſionis ad priorem impietatem ac perfidiam, adeoque ſacrilegij execrandi ex eiuſmodi coactione conſequentis.

Acutè quoque illud ac ſubtiliter planè quod aduocato in ſubſidium Auguſtino poſt ſupradicta ſic ſubjun-

git : *Interim huc flecti poterit quod beatus Auguſtinus in epiſtola* 118. *ſcribit ad Ianuarium :* Nempe : *Totum hoc genus rerum liberas habet obſeruationes ; nec diſciplina vlla eſt in his melior graui prudentique Chriſtiano quàm vt eo modo agat quo agere viderit Eccleſiam ad quamcunque fortè deuenerit : Quod enim neque contra fidem neque contra bonos mores injungitur (aliàs conuincitur) indifferenter eſt habendum , & pro eorum inter quos viuitur ſocietate ſeruandum eſt.* Non imprudenter ſaltem ais Magiſter flexuoſe *huc flecti* quod ſic ex Auguſtino refers : Quis enim pertinere huc putet niſi flectat ? id eſt à vero ſenſu & directo ac recto detorqueat ? Si locum Auguſtini pleniùs retuliſſes, non ſicut ſoles mutilatum, intelligere faciliùs poterat quiſque quàm aptè ſenſus alter conueniret alteri nec ne ; adeoque (quod planè ipſe metuebas) intellexiſſet nihil ad inſtitutum tuum pertinere quod ibi dicit Auguſtinus : De illis nempe ſolùm agit quorum indifferentes rationes videri poſſunt & reipsâ ſunt, nec alioqui vllis omnino incommodis aut

periculis obnoxiæ. Sic enim plenè: *Quæ per loca terrarum regioneſque variantur, ſicuti eſt quòd aliqui jeiunant Sabbato, alij verò non; alij communicant quotidie corpori & ſanguini Dominico, alij certis diebus accipiunt; alibi nullus dies intermittitur quo non offeratur, alibi Sabbato tantùm & Dominico, alibi tantùm Dominico, & ſi quid aliud huiuſmodi animaduerti poteſt, totum hoc genus rerum* &c.

Expendamus iam paucis quid ſimile habeat cum exemplis quæ Auguſtinus ibi profert exemplum præſens quod verſamus. Vllum-ne periculum damnationis aut animarum diſpendium ſi Sabbato non jeiunetur, ſi non ſumatur quotidie corporis Chriſti communio, vel non etiam quotidie ſacrificium eius offeratur? Vllum-ne vel ex iſtis vel quibuſcunque ſimilibus apoſtaſiæ, impietatis, perfidiæ, ſacrilegij periculum? quale in Iudæorum vel aliorum Infidelium Gentilium coactione ad baptiſmum timeri oportere ac iuſtè poſſe Gregorius & Alcuinus

& Toletani Patres inculcarunt! An ergo ſenſus Auguſtini huc flecti poſſit, niſi obliquè prorſus in contrarium torqueatur?

Articvlvs VIII.

Innocentij tertij Decretalem nec Toletani Concilij ſtatuto aduerſari vel officere, nec ad præſentem quæſtionem propriè pertinere, ſed ſuperfluè à Launoïo ad inſtitutum ſuum adhiberi.

Satis (opinor) patet quàm obliquè ad ſenſum ſuum ſupradicta ex Auguſtino deflexerit ac detorſerit Launoïus, vt Concilij Toletani ſtatutum generali fulcitum ratione per totum orbem vniformi ad eas tantùm obſeruantias reuocaret quæ vel motiuo ſpeciali vel non vbique abſolutè neceſſario fulciuntur; & quàm friuolas ac inanes exceptiones præmiſerit vt vim illius eneruare ſi poſſet conaretur: Nunc videndum eſt quàm ſuperfluè Innocentij Tertij Decretalem adjungat vt ex illa inferre quiddam poſſit vel ſe præſumat poſſe quod eiuſdem Statuti vim eneruet, dum ab

Innocentio int erpre tatum fingit. Hæc nimirum eſt Decretalis quam indicatam à me intellexit cùm Pantheologię Raynerianæ meæ titulum de baptiſmo alphabeticum annotabam; & ex tam craſſo ſenſu ac obtuſo excurſiones illas tam ridiculas & extaticas effutiuit quas in præfatione huius tractationis indicaui. Nec eam tantùm refert vt Concilij Toletani Statutum ſupradictum à legitimo & proprio & vero ſenſu ad alienam interpretationem confictamque traducat; ſed vt rurſus oſtendat illam Gallicanæ prætextitiæ diſciplinæ vel non præjudicantem vel fauentem: Adeo ſe tandem in Decreta Pontificia reuerentem exhibet vt vereri ſe ſignificet ne Gallicanæ diſciplinæ ſi aduerſentur præjudicent, qui priùs ea intra fines Romanos concludebat. Sic enim in titulo capitis: *Innocentius Tertius in cap.* Majores *de baptiſmo niſi Gallicanæ diſciplinæ faueat, præjudicium illi certè nullum infert:* Sic autem initio: *Pontifex hoc in cap. relatum ſuprà (* barbaré-ne ſic ac latinè? *) Toletani Concilij Canonem explicat, ſed explicatione*

ſuâ niſi Gallicanæ Eccleſiæ diſciplinam adjuuet, non præjudicat: Audiendus eſt. Quàm paratus ad audiendum Pontificem! Quia fauentem & juuantem vel non præjudicantem putat: Neſcio an etiam præjudicantem vel non fauentem auditurus.

I.

Quid ait porrò Innocentius ex quo colligat quòd Canonem prædictum Toletanum interpretari voluerit? *Item quæritur*, inquit, *vtrùm dormientibus & amentibus Sacramenti ſaltem character in baptiſmate imprimatur, vt excitati à ſomno vel ab ægritudine liberati non ſint denuo baptizandi. Sunt autem nonnulli qui dicunt quòd Sacramenta quæ per ſe ſortiuntur effectum, vt Baptiſmus & Ordo cæteraque ſimilia, non ſolùm dormientibus & amentibus, ſed inuitis & contradicentibus, etſi non quantum ad rem, quantum tamen ad characterem conferuntur; cùm non paruuli ſolùm qui non conſentiunt, ſed & ficti qui quamuis non ore, corde tamen diſſentiunt, recipiant Sacramentum. Sed opponitur talibus quòd qui fuiſſent inuiti & reluctantes immerſi, ſaltem ratione*

Sacramenti ad iuriſdictionem eccleſiaſticam pertinerent; vnde ad ſeruandam regulam fidei chriſtianæ forent rationabiliter compellendi. Verùm, id eſt religioni chriſtianæ contrarium vt ſemper inuitus & penitus contradicens ad recipiendam & ſeruandam chriſtianitatem aliquis compellatur. Propter quod inter inuitum & inuitum, coactum & coactum; alij non abſurdè diſtinguunt, quòd is qui terroribus atque ſuppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum capiat baptiſmi ſuſcipit Sacramentum, talis (ſicut & is qui fictè ad baptiſmum accedit) & characterem ſuſcipit chriſtianitatis impreſſum, & ipſe tanquam conditionaliter volens, licèt abſolutè non velit, cogendus eſt ad obſeruantiam fidei chriſtianæ. In quo caſu debet intelligi Decretum Toletani Concilij, vbi dicitur quòd qui iampridem ad chriſtianitatem coacti ſunt, ſicut factum eſt temporibus religioſiſſimi Principis Siſebuti, quia iam conſtat eos Sacramentis diuinis aſſociatos & baptiſmi gratiam ſuſcepiſſe & chriſmate vnctos eſſe & corporis Domini extitiſſe participes, oportet etiam vt fidem quam neceſſitate ſuſceperunt, tenêre cogantur; ne nomen

Domini blaſphemetur, & fides quam ſuſceperunt vilis & contemptibilis habeatur. Ille verò qui nunquam conſentit, nec rem nec characterem ſuſcipit Sacramenti; quia plus eſt expreſsè contradicere quàm minimè conſentire.

II.

Totam hanc Decretalem voluat vndique Lector ac reuoluat; & quanam parte interpretetur Innocentius quod ad præſentem quæſtionem directè ſpectat inueniat ſi poteſt. Illam certè interpretatur partem quæ ſignificat eos ad retinendam chriſtianam profeſſionem compellendos qui non contradicentes exteriùs quamuis diſſentientes interiùs baptiſmum ſuſceperint, quia inducti minis & compulſi: De illa autem parte quæ ad fidem recipiendam vel baptiſmum ſuſcipiendum compellendos quomodocunque ſignificet, verbum-ne vllum, apex vllus? Quod nunc maximè inquirimus, imò ſingulariter & vnicè aggreſſi ſumus inquirendum. Sed mira hîc [illegible] Launoiana ſubtilitas, qualis tam nota paſſim ac miranda. *In Toletani Concilij canone quem inter-*

pretatur Pontifex (inquit *) ſunt duo: In vno narratur factum Siſebuti Regis: In altero prohibetur ne quid ſimile contingat ampliùs. De hoc ſecundo ſilet Pontifex, de primo loquitur: Et cùm illud videtur probare, certè non improbaret Gallicanæ Eccleſiæ diſciplinam, quæ ſub Chilperico, ſub Dagoberto, ſub Carolo-Magno Rege obtinuit: Siſebutus Chilpericum imitatus eſt, Dagobertus Chilpericum & Siſebutum, Carolus Chilpericum, Siſebutum, & Dagobertum: Qui Reges nihil ſine Synodo vel ſine conſilio Epiſcoporum fecerunt, vt ſuo loco explicatum eſt.*

III.

Quid hac porrò Launoianâ ſubtilitate obtuſius? Diceres Pontificem aggreſſum ex profeſſo interpretari Canonem hunc: Nihil magis ab inſtituto eius alienum: Non baptizandi modum quem ſeruandum decernit canon, ſed effectum baptiſmi qualicunque collati modo explicandum ſuſcepit; vt ex tota ſerie patet: Hinc intelligis quam ob cauſam de illa parte ſilet quæ modum baptizandi vel incoactum ſpectat vel coactum;

quia de parte illa non agebatur prorſus in propoſito; nec moralis vel iuridica Innocentio diſceptatio incumbebat an hoc vel illo modo baptizari deberent Infideles aut legitimè poſſent; ſed quæſtio ſpeculatiua tantùm vel dogmatica quid baptiſmus in illis efficeret qui eum quouis modo coacti ſuſcepiſſent: Vel eâ ſolùm parte moralis erat & iuridica, vt ex adjunctis conſtat, an ad Religionis chriſtianæ profeſſionem retinendam adigi poſſent ac deberent; non ad ſuſcipiendam verò illam, vel eius in baptiſmo recipiendum characterem. Cur ergo ſilentium Innocentij de hac parte in argumentum aſſumitur quòd eam non probarit? Cùm hinc potiùs ex ipſiſmet Launoianis principiis tam ſæpè repetitis inferri poſſit quòd probarit, quia de illâ nihil dixit nec indicauit improbandam.

Quid nugacius quoque, quòd videtur Innocentius factum probare Siſebuti? Vtique viſiones videnti Launoïo videri ſatis poſſit: Sed an alteri cuipiam non oculis Launoïanis inſpicienti videatur? De Siſebuti

facto vel improbando vel probando non magis agebatur in propoſito caſu quàm ſicut præmiſſum eſt de modo baptizandi Iudæos, vel de illis cogendis ad baptiſmum : Quid ergo intererat vt factum illud vel probare ſe vel improbare Innocentius teſtaretur? Per indirectam illud occaſionem eo modo retulit quo relatum à Concilio Toletano fuerat; relatum-ne ſic ibi porrò vt & probatum dici poſſit, ſuo iam loco diſcuſſum eſt.

I V.

Pergat modò hinc augurari Launoius addendo falſa falſis & vana vanis & figmenta figmentis, quòd cùm Innocentius videatur probare factum illud, *certè non improbaſſet Gallicanæ Eccleſiæ diſciplinam quæ ſub Chilperico, ſub Dagoberto, ſub Carolo-Magno Rege obtinuit.* Iam fictitium eſſe oſtendimus quòd Eccleſiæ Gallicanæ diſciplina hæc appelletur : Iam oſtendimus quàm inaniter oſtentetur ad comprobandam illam Chilpericus, tam aſſuetus paſſim eius contemptor vel apertus etiam violator; qui tamen ſemel tantùm nec vniuerſaliter fecit

quod feciſſe iactatur tanto faſtu: Iam oſtendimus quàm ridiculè in exemplum coactionis producatur ob Gandauenſes Dagobertus, quaſi ad fidem eos aut ad baptiſmum coëgerit, quos tantum abeſt ſic fuiſſe coactos, vt potiùs ab illo miſſum ad ſe Sanctum Amandum innumeris & miris modis tam inſolenter quàm impunè vexarint: Iam oſtendimus quàm falſum ſit quòd à Carolo-Magno coacti ſint Saxones ad baptiſmum; cùm contrarium ex Alcuino conſtet, qui eos refert curâ dumtaxat non vi Caroli-Magni ad baptiſmum adductos primò; quamuis coactos tandem vt baptiſmum ſuſceptum retinerent: Iam oſtendimus quàm indignè vel Siſebutus Chilpericum, id eſt religioſiſſimus Princeps impiiſſimum Regem, imitatus dicatur in hoc facto vbi exemplum nullum profert; vel Dagobertus id fictitiè pro Ethnicis decernens Chilpericum ac Siſebutum, pro Iudæis dumtaxat id iubentes; vel Chilpericum, Siſebutum, ac Dagobertum Carolus-Magnus, qui nec vllam vim Saxonibus intulit, nec ſi vllam quam-

libet intuliſſet, reipsâ illos imitatus videri poſſet, nihil tale aggreſſos vnquam, quale ipſe aggreſſus præſumitur : Atque adeo quàm falſis Launoius & futilibus ac fictitiis hypotheſibus implicarit quod à ſe iactat iiſdem locis explicatum.

Cur enimuerò qui fictitium Dagoberti exemplum ex Authore incerto pro Ethnicis retulit, non potiùs aliud ad Iudæos pertinens longè illo ſpecioſius inculcauit, à certis Authoribus & notiſſimis recenſitum ? Sed quia ſimul ad Eccleſiam Orientalem ſpectat, in ſequentem id articulum reſeruamus.

ARTICVLVS IX.

Non alium in Eccleſia Orientali quàm in Occidentali morem pro Iudæis vel quibuſcunque Infidelibus baptizandis fuiſſe vnquam obſeruatum; vt nempe ſponte tantùm baptizarentur, non coactè.

VTique ſi prædictum exemplum Dagoberti quod Aimoinus & geſtorum ipſius Dagoberti coætaneus Author expreſſiſſimè refert, legiſſet in illorum narratione Launoius, vidiſſet ſimul quod objicere nobis ex Eccleſia Orientali poſſet; quia quicquid hac parte Dagobertus feciſſe præſumitur, & explicandum erit infrà, Imperatoris Heraclij rogatu fecit, vt in eadem narratione continetur: Nunc autem vt candidus admodum vir eſt & ingenuus ac ſincerus, fatetur vltro nihil ibi ſe inueniſſe quod ad probandam aſſertionem ſuam perti-

neret: Non ſatis tamen tam egregiæ notationis memor qua ſe Athanaſio, me Iuliano comparabat Athanaſium execranti quòd ad baptiſmum compellere illuſtres regni ſui fœminas auſus eſſet, vt ex illius verbis in Opuſculi huius præfatione indicaui. Fateri maluerit fortaſſis nihil à ſe inuentum quod probaret aliquos ad baptiſmum coactos, ne fateri etiam cogeretur ſe multa paſſim inueniſſe quæ probent non coactos; & veriſſimum illud eſſe conuincant quod eodem verborum tractu audaciſſimè negat; etſi craſsâ vt ſolet fallaciâ, quam inferiùs detegemus; indeque diſſoluemus ex abundanti quod objicere ipſe potuit, nec obiecit.

Hoc ergo tantùm pro capite octauo ſuo componendo putauit exhibendum. *Hactenus Occidentalis Eccleſiæ diſciplinam circa baptiſmum Iudæorum & Infidelium expoſui: Occidentalis, inquam, Eccleſiæ; quia de Orientali ſpeciale nihil habui quod obſeruarem. Chriſtianos Principes in Oriente ad baptiſmum Iudæos aut Infideles coëgiſſe, vel edixiſſe vt non cogerentur nondum com-*

peri. Ne hoc tamen Doctoris tanti & tam multorum inſpectoris attribuendum ſegnitiei putes, vide quot Authoribus te obruat nullam referentibus legem quæ prædictos decernat non cogendos! *De hoc diſciplinæ genere* (inquit) *Codex Canonum vniuerſæ Eccleſiæ qui græcè ſcriptus eſt, Martini Bracarenſis collectio Orientalium Canonum, Ioannis Antiocheni collectio Canonum, Nomocanon, Capita Eccleſiaſtica, Alexij Ariſtini Synopſis Canonum, Simeonis Magiſtri & Logothetæ Epitome Canonum, Arſenij Monachi Epitome Canonum, Photij Nomocanon, Conſtitutionum Eccleſiaſticarum Collectio ex libro* 1. *Codicis, ſi bene memini, ſilent.*

I.

Vidiſti, Lector, quàm fideliter & fœliciter Occidentalem diſciplinam expoſuerit, vel potiùs quàm fallaciter eam & nugaciter illuſerit cùm exponendam oſtentauit: Vide nunc & mirare in Oriente quaſi eclipſim paſſum & miſerabiliter deficientem, quia tot ſupradicti quos inſpexit Authores, nullam legem referunt quæ Iudæos

aut qualeſcunque Infideles cogendos ad baptiſmum vel non cogendos edixerit. Quid ſi de illo dicam, & veriſſimè dicam, quod ipſe de me in Opuſculo ſuo de ciborum delectu, articulo quarto, inſulſiſſimè ac falſiſſimè cum fœdiſſimo ſolœciſmo ſic dixit? *Non poteſt ſatis notari & caſtigari fallacem diſputandi modum illum quo vtitur: Fallaciam accidentis à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter tam apertè committit, vt nullus ſit in dialecticis tam plumbeus, vel etiam tam hebes in plebecula qui miſerum & inane artificium illud non facilè perſentiſcat.* Nihil vtique tale commiſſum à me in hiſtoria Spiridionis de qua loquitur, ſed eum veriſſimè de fallacia ridicula, & quod pejus eſt, peſtilenti dogmate reprehenſum; ſatis oſtendi ſuo loco; nec mihi metuendum proinde ne ideo detrudar in piſtrinum vel pœnam impoſtorum merear, vt minatur. Quàm frequens autem apud eum ſit modus ille, quem in ejuſdem Opuſculi Corollario ſeptimo de aliis quibuſdam loquens, *miſerabilem, turpiſſimum, vitioſiſſimum, irridendum* appellat, per ſingulas

ſingulas paginas vbi ſuum aliquid infert deprehendi facilè poſſit, & tot exemplis à me tum in iſta tum in aliis Diſſertationibus contra illum ſuſceptis conuictum eſt.

Poſſit-ne verò vſquam euidentiùs quàm hîc? Annon hæc accidentis fallacia, turpiſſima, vitioſiſſima, miſerabilis, irridenda? quòd in Orientali Eccleſia nihil reperiatur vnde probari poſſint Infideles ad chriſtianam Religionem non cogendi, quia Canones, Nomocanones, Conſtitutiones Orientales de hoc diſciplinæ genere ſilent? Annon à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter, vitioſiſſimo, miſerabili, turpiſſimo, & irridendo modo, euidenter concludens? Quaſi piiſſimorum Imperatorum qui Iudæos aut Infideles nullos coëgerunt exempla tam præclara & illuſtria ſine legibus latis non ſufficiant ad probandum quòd putauerint non cogendos! Quaſi oportuerit leges condi ad prohibendum ne fieret quod à nemine factum fuerat aut fiebat; cùm non condantur leges niſi vt contrarij mores corrigantur; indeque illud axio-

ma vulgare quòd *ex malis moribus bonæ leges!* Quaſi ad Gallicanam prætextitiam de cogendis Iudæis vel aliis Infidelibus diſciplinam ſtabiliendam aut ex Caroli-Magni aut Ludouici Pij aut quorumcunque Regum Francorum Capitularibus, id eſt Edictis & Legibus publico ſtylo conſignatis, aliquid eruerit vel eruere potuerit quod aſtruere illam vel aſſerere poſſet; aut aliud quàm fictitia vel inania quædam exempla protulerit eorum Regum vel Prælatorum quos vſurpaſſe hanc diſciplinam præſumebat!

I I.

Quid hoc eſt, verſatilis Magiſter? Ad probandam commentitiam tuam de cogendis Infidelibus in Eccleſia Occidentali diſciplinam tam pauca tibi nec ad inuicem conformia exempla ſufficere viſa ſunt, nempe illegitimum Chilperici, confictum Dagoberti, falſum Caroli Magni, ac duorum Epiſcoporum à Gregorio Magno reprehenſum: Nec ad Orientalis Eccleſiæ de non cogendis illis veram ac legitimam diſciplinam exempla veracia, indubitata, vniformia, per tot

Imperatores piiſſimos, per Conſtantinos, per Arcadios, per Honorios, & per Theodoſios continuata ſufficiant? Vbi ſunt illa tua, Magiſter negatiue, tam familiaria tibi argumenta vt & contra te vſurpare liceat in hunc modum? Non coëgerunt: Ergo cogendos non putarunt: Nullam tulerunt legem qua cogendos vel non cogendos edicerent: Ergo ſuppoſuerunt ſatis non cogendos quos ipſi quoque non cogebant.

Nec negatiua tamen merè aut ſimilia tuis argumenta ſunt, nihil concludentibus paſſim, vel mera ſaltem concludentibus nugamenta: Suam inde repetunt firmitatem, quòd eam legem ferre non omiſiſſent Imperatores ad chriſtianæ Religionis cultum amplificandum tam propenſi ac de ſalute ſubditorum tam ſoliciti, ſi proficuam & licitam exiſtimaſſent, aut ferendam: Quam tamen prorſus non tulerunt; cùm tot alias in Iudæos variâ datâ occaſione ſuccedentibus temporibus tulerint, vt eorum ſeditiones coërcerent; ſed ſaluo ſemper obſeruantiæ ſuæ ritu quem toties quoties

ærarij, aut vt collectæ (ſi contingat) in ærarium illud redigantur. Hæc præterea Theodoſij, ne chriſtianis mancipiis vel ſeruis vti prorſus Iudæi poſſint; & vt ſeueritati legum ſubjiciantur, ſi Iudaïcâ notâ Chriſtianum fœdare tentauerint. Annon hæ leges quæ Iudæos in plenâ ſui cultûs & ritûs libertate relinquunt, relictos-ve ſupponunt, non ſubinde aſſerunt pluſquam ſatis Orientalem de non cogendis illis diſciplinam, quam Launoius reperire non poteſt, quia oculos conuerterat in Occidentem, aut ſuis eum vmbris offuderat Occidens?

Quid quòd Iuſtinus Imperator Iudæos prohibuit gerere Magiſtratum aut ius dicere, ne ſub illo prætextu Chriſtianos vexarent, cùm ad forum eorum vocarentur? Nec tamen prohibuit in ſuo eos ritu & ſui cultûs profeſſione cum omnimodâ libertate ac licentia permanere. Quid quòd Iuſtinianus legem tulit qua licentiam tribuebat Iudæis, vt quacunque in Synagogis vellent linguâ & potiſſimùm græcâ (non hebraïcâ tantùm)

vterentur? An hoc erat cogere illos ad chriſtianam Religionem, non in ſua liberos relinquere, vt non impunè tantùm illam ſed ex Imperatoris pleno conſenſu exercerent? Et hæc Magiſter non comperit, etſi tam curioſus indagator, quæ Frater tam deſpectus Magiſtro vt paucorum inſpector tam facilè potuit comperire, vt Eccleſiam Orientalem Occidentali conformaret quoad Iudæos non cogendos!

III.

Dignabitur-ne porrò tantus Magiſter Magiſtrorum, vt ei adhuc Frater argumenta nonnulla ſubminiſtret, ab illo nondum (vt fatetur) comperta, vt Iudæos in Oriente ad baptiſmum coactos probent, vel eos & alios etiam Infideles interdum ritu ſuo viuere non permiſſos? Nec ſic peremptoriè tamen probent, quin ea ſimul diſſoluere facilè Frater poſſit.

Primum eſto ex Honorij lege qua vetuit Iudæos honoribus publicis fungi, militiæque cingulo ſi qui eorum accepiſſent exui iuſſit; arbitratus eorum conuerſionem huiuſmodi vexatione oportere tentari; quin & à

Chriſtianis concrematam illorum Synagogam impunè tolerauit, quaſi ad eorundem conuerſionem his auſpiciis inchoandam, vt Baronius in Annalibus anno 418. refert. Sed eſt in promptu ſolutio, quòd nec Iudæis corporalem inflixit pœnam Honorius niſi baptizarentur, vt Siſebutus in Hiſpania fecit, & poſt quatuor tandem annos vexationem illis ex indiſcreta Chriſtianorum pietate illatam, vt eorum conuerſioni nihil proficientem reuocauit: Hæc enim poſterior eius lex: *Placet in poſterum nullas omnino Synagogas Iudæorum vel auferri paſſim vel flammis exuri*, &c.

Secundum argumentum petitur ex aliis eiuſdem Honorij contra Paganos factis, vel Conſtitutionibus & Edictis; quos exilio nempe propter ipſorum execranda ſacrificia mulctari iuſſit, & eorum euerti templa vel ſimulachra frangi: Sed facilis etiam ſolutio, lõgè aliud eſſe vt à ſacrificiis idolorum prohibeantur quæ ſunt contra legem naturæ Deum vnum colendum ſuggerentis; aliud vt ad cultum chriſtianæ Religionis compellantur

quem lex naturæ non ſuggerit ſed ſupernaturalis fides.

Mitto quòd Cælicolas quoſdam quos cum Iudæis annumerat ad chriſtianitatem ſeruandam anno 408. dicitur compuliſſe : Nam Cælicolæ illi non alij quàm Chriſtiani erant, qui per apoſtaſiam ad Iudaïſmum defeciſſent, & ad vitandum Iudaïci nominis execrandi odium Cælicolas potiùs appellari ſeipſos ambiiſſent : Vnde ad chriſtianitatem ſeruandam quam primitus profeſſi erant, cogi poterant & debebant : Sed quid hoc ad Iudæos qui Chriſtiani nondum erant, & quos non ſimiliter Honorius coëgit ? Imò Theodoſius qui eodem tempore imperabat in Oriente hanc pro Iudæis anno 408. legem tulit : *Prouinciarum Rectores prohibeant ne locis ſuis fidei noſtræ ſignum immiſceant* (Iudæi) *ſed ritus ſuos infra contemptum chriſtianæ legis retineant; amiſſuri ſine dubio permiſſa, niſi ab illicitis temperauerint*, &c.

Tertium argumeutum ex Theophanis hiſtoria petitur, vbi refert quòd Leo Iſauricus *coëgit Iudæos baptizari :* Sed indignum eſt vt exem-

plum illius producatur qui cum Iudæis Imperium ſibi augurantibus pactum egit ; qui chriſtianas imagines eorum ſuaſu fregit ; qui propterea eos fortè baptizari voluit, vt hoc ipſum exequi ſub obtentu nominis chriſtiani ſpecioſiùs poſſent : Cæterùm quàm infelix euentus eam coactionem exceperit, ſic Theophanes proſequitur : *At verò Iudæi baptizati contra propoſitum ſuum, diluerunt baptiſmum, & comedentes ſancto munere participabantur & contaminabant fidem.* Inde-ne legitima probari poſſit coactio ?

Quartum, quod huc reſeruauimus, argumentum ex Heraclio deſumitur : De quo ſic Aimoinus Monachus art. 8. indicatus : *Agnoſcens Heraclius in ſignis ſiderum imperium ſuum à circumciſa gente vaſtandum, & autumans id de Iudæis fuiſſe præmonſtratum, per internuntios Dagobertum rogauit Regem Francorum, vt cunctos Iudaicæ ſtirpis qui in Prouinciis illi ſubjectis manebant Chriſtianos fieri præciperet ; eos verò qui nollent, aut exilio aut morte damnari: Quod Dagobertus volens effecit, omneſque qui noluerunt baptiſma ſuſcipere pro-*

cul à finibus eliminauit Franciæ: Nec dubium quin Heraclius in Oriente præſtiterit quod in Gallia poſtulabat à Dagoberto faciendum. Sed parum proſit hoc objicere: Tum quòd Iudæos qui per ſolam hactenus Regum tolerantiam in Gallia manſerant potuerit exterminare Dagobertus nec vlteriùs eos pati, ſicut poſtea tandem propter ſeditiones & pericula ſubuerſionis Chriſtianorum expellendi fuerunt, & penitus expulſi: Tum quòd infeliciter illud ipſum ſucceſſit Heraclio, vt Aimoinus annotare deinceps pergit: *Porrò Heraclio non de Iudæis* (inquit) *ſed de Saracenis fuerat præoſtenſum: Agareni ſiquidem (qui & Saraceni) gens perfida ab Abraham cum origine ritum trahens Circumciſionis, à radice Caucaſi montis progreſſa, Heraclij terras populatum venerunt: Contra quos lecta militum manus à Cæſare directa grauiter eſt ab hoſtibus cæſa: Nam* 150. *millia ex militibus interiiſſe referuntur.* En quantum Heraclio Iudæos coëgiſſe profuit vel cogendos à Dagoberto poſtulaſſe!

Quintum denique argumentum ex

Iuliani Apoſtatæ Imperatoris contra Sanctum Athanaſium exprobratione deſumitur, quòd quaſdam ad baptiſmum illuſtres regni ſui fœminas compuliſſet; nec ad probandam tamen aſſertionem ſuam à Launoio inculcatum eſt; quamuis inde ſeipſum vt in Præfatione annotaui, Athanaſio compararit. Sed ridiculum eſſet vt id aliter quàm conſilio & ſuaſione feciſſe intelligeretur Athanaſius; atque adeo plus ridiculum adhuc vt ſe ideo Launoius Athanaſio comparandum præſumat qui vult vi cogi poſſe infideles; aut me viciſſim Iuliano, qui hoc volenti contradicam.

ARTICVLVS DECIMVS, ET OMNIVM præcedentium concluſio.

A Launoio fruſtra prætexi ſcholaſticas opiniones ad ſe inuicem contrarias, vt ſuam de Iudæis vel de Infidelibus quibuſlibet ex Gallicano vſu ad baptiſmum ſuſcipiendum compellendis aſſertionem tueatur.

VT ſummariè tandem Tractatio hæc tota concludatur, nihil aliud annotandum ex Launoij dictis reſtat, niſi quod ſuperfluè ſatis ad inſtitutum ſuum adjungere voluit quarto Corollario ſuo, quaſi ad morem Gallicanum probandum impertinens; & multò magis ad Eccleſiæ indefinitum vſum

comprobandum. Sic porrò ait: *Quoniam neutra diſciplina quam ex ſuis monimentis expoſuimus, vniuerſalis Synodi Canone ſancitur, vtraque Theologorum ſcholis vniuerſim permittitur: Sed qui Toletani Concilij ſententiam amplectuntur, in eo videntur errare quòd oppoſitam nullo Chriſtiani Principis vllius exemplo, nullâ vllius Eccleſiæ conſuetudine & authoritate defendi poſſe ſcribant. Venia tamen illis danda eſt quos præteriit vetus Gallicanæ Eccleſiæ diſciplina.*

Semper-ne viſiones loquêris cordis tui, Launoi? & à nobis veluti prophetias recipi voles? Excuſſimus exempla illa tua quæ oſtentabas tanto faſtu, tantâ confidentiâ inculcabas, tanto cum faſtidio repetebas; & fictitia vel reprobata ſic oſtendimus vt vel videre illa non potuerint verè vel illis commoueri valde non debuerint qui Concilii Toletani ſententiam ſibi putarunt amplectendam & amplexi ſunt. Excuſſimus etiam Gallicanam commentitiam diſciplinam, quam ex vnico Chilperici, confictō Dagoberti, falſo Caroli Magni, & duorum Epiſcoporum reprehenſo exemplo com-

ponebas ; oſtendimuſque quàm ridiculè ſic vocares quod nec illius vmbrâ dignum eſſet. Non ergo illi errent, qui non viderunt quod finxiſti : Erres potiùs ipſe, qui finxiſti quod nec videre niſi per phantaſmata tua poſſint : Et vt meritò illis debeatur venia quam nec negas, quòd eos vetus illa (per vmbram tantùm à te viſa) prætererierit Eccleſiæ gallicæ conſuetudo, vide ne tibi danda non ſit, qui figmenta hæc inuentitiæ diſciplinæ vel hæc exempla partim falſa & fictitia, partim illegitima & reprobata, ſanctionibus canonicis ac iuridicis anteponas!

Perge interim obgannire nugando rurſus ; & ingeniis longè tuo tam præpoſtero ſanioribus inſultare, Launoi : Perge illis vt magnum quoddam improperium exprobrare, quòd *præ manibus tantùm habuerunt vnicum Gratiani Decretum in quo diſtinctione* 45. *de Iudæis ex Toletani Concilij Canone Hiſpanorum ſola in baptizandis Iudæis diſciplina repræſentatur.* Habuerint vnicum illud præ manibus, quid refert ? An ſi commentitias illas quas tibi fingis illuſiones præ manibus quomo-

dolibet habuiſſent, præferre voluiſſent Canoni, cui non vt Hiſpanorum diſciplinam ſolam repræſentanti ſed in communem Eccleſiæ totius diſciplinam recepto adhærendum putarunt? An qui legem non ignorarunt Siſebuti qui *religioſiſſimus Princeps* à Concilio ipſo Toletano vocatur, quia eam vtique in eodem Decreto Gratiani ac in eodem *de Iudæis* capite indicatam videre potuerunt; & eius tamen rationem non habuerunt, quia per Concilium illud abrogatam ſciebant ac reiectam; exemplum Chilperici quem *ſceleratiſſimum* vocas ipſe, tanti feciſſent, quamuis nullâ firmatū lege nec niſi ſemel vſurpatum, vt illud authentico Decreto in publicis ipſius Eccleſiæ tabulariis recenſito præferrent? An ipſius etiam Dagoberti, quantumuis piiſſimi Principis, vt & Caroli Magni, ſi tam vera exempla eſſent quàm tu fingis, eidem tam ſolenni Decreto prætuliſſent?

Non certè ſanctus Thomas, non Diſcipuli ſancti Thomæ, non illi quos iam pergis illuſorio ſtylo vellicare quòd apud eos *ex omni retro anti-*

quitate aliud legitur nihil præter Toleta-num Canonem quo generalem per omn Eccleſias diſciplinam definiunt. No ſanctus Thomas (inquam) aut Diſci puli ſancti Thomæ quidquam eorun quæ confingis aut refers ex præſumpta antiquitatis tuæ penu, Toletano Canoni anteponant; quantumuis pro Hiſpanis edito, ac localem abuſum apud illos exortum corrigenti; nec generalem quidem per ſeipſum introducenti diſciplinam, ſed rationem tamen continenti quæ diſciplinæ generalis conſtituendæ fundamentum & cauſa eſſe poſſit. Putas-ne porrò, Diſciplinarum Reformator, quòd *ita* malè generalem ex eo diſciplinam inferre poſſint, quem probatum ab Eccleſia, in Eccleſia vſurpatum, Decretis Eccleſiæ annumeratum vident, contrario Decreto abrogatum non vident?

Falsò exprobras tamen apud illos aliud legi nihil præter Canonem Toletanum quod ad hanc diſciplinam quomodolibet pertineat. Cur apud S. Thomam hoc ſaltem non legiſti? pueros Iudæorum aut aliorum Infidelium parentibus inuitis baptizandos

non eſſe, quia *hoc Eccleſiæ vſus nunquam habuit; quamuis fuerint retroactis temporibus multi Catholici Principes potentiſſimi, vt Conſtantinus & Theodoſius, quibus familiares fuerunt ſanctiſſimi Epiſcopi, vt Sylueſter Conſtantino & Ambroſius Theodoſio; qui nullo modo prætermiſiſſent ab eis impetrare ſi hoc eſſet conſonum rationi.* Num verò multò magis de parentibus dicat? quos nunquam Conſtantinus, nunquam Theodoſius, nunquam Sylueſter, nunquam Ambroſius, inuitos baptizari curarunt, poſtularunt, iuſſerunt! & quos periculoſum eſſet magis inuitos quàm eorum filios infantulos inuitis ipſis baptizare! Cur non legiſti rurſus apud eundem tolerandos Infidelium ritus, & nominatim Iudæorum? quia de illis Gregorius lib. 11. epiſtolarum, Indictione ſexta, epiſtolâ quintadecima, ſic ſtatuit: *Feſtiuitates omnes ſuas ſicut hactenus ipſi & Patres eorum per longa colentes tempora tenuerunt, liberam habeant obſeruandi celebrandique licentiam.* Tolerandos-ne dicat eorum ritus, & eos tamen ad baptiſmum cogendos? Quod ibidem

prohibet Gregorius, ac ex eodem in Decretis diſtinctione ſupradictâ cap. *Qui ſincera* refertur. En alia, Launoi, præter dictum Canonem Toletanum producit ſanctus Thomas! ne ſimul addam quę tibi à me replicata ſunt vel producta, vt confirmarem quod infirmare conabaris; & meras eſſe illuſiones oſtenderem omnia illa quæ te tam iactabundè ac audacter *ex omni retro antiquitate* decerpſiſſe ad inſtitutum tuum ſtabiliendum oſtentabas.

Viderint iam Scotiſtæ quomodo Scotum ſuum ab inſultibus tuis & ſeipſos cum Scoto tueantur. Sic enim poſt prædicta ſubjungis, quod ad eorum cauſam ſpectat: *Ioannes verò Scotus & eius Sectatores reſiſtunt quidem Thomæ & eius diſcipulis, ſed rationes non afferunt quæ ex aliquo theologico loco petantur, hoc eſt ex probatis Chriſtianorum quorundam Principum exemplis, vel ex alicuius Eccleſiæ putà Gallicanæ moribus & inſtitutis: Huius autem rei cauſa in promptu eſt quod vtriuſque partis Theologi non alio quàm Gratiani libro vterentur: Id totum Scotus volaticis rationibus & argutiis definiebat.*

Quid Scotus, quid Scotiſtæ, quid Scoto vel Scotiſtis addicti de re iſta ſentiant nihil ad me, qui nec ex illis vnus eſſe velim: Reſiſtant quantum poſſunt, non moror; quia vinci facilè tota illa reſiſtentia poteſt: Volaticis rationibus & argutiis rem definiat Scotus, mihi lucrum eſt; quia tantò leuiùs impugnabit quod ſentit ſanctus Thomas, & nos cum illo propugnamus: Nec tamen impugnandum videtur ſuſcepiſſe, qui ſimpliciter tantùm & ſummariè dicit quòd crederet religioſum eſſe vt etiam inuiti baptizarentur infideles; quia ſic ſaltem ritus ſuos impedirentur exteriùs exequi, licèt fidem in corde non haberent; & contingere poſſet quòd eorum filij vel poſteri per vſum illum exteriorem ad chriſtianam Religionem verè conuerterentur, quamuis parentes verè conuerſi non fuiſſent: Quin & hoc ipſum addit quod ſimili tu ipſe argutiâ tam ſubtiliter diuinabas & exploſimus; factum ſcilicet Siſebuti à Concilio Toletano probatum, quia *religioſiſſimum Principem* appellauit; vt eò magis reſpondere

ſubtilitati Scoti à te tam inſigniter commendatæ videri poſſis, dum illam eius interpretationem ſic approbas vt & facias tuam.

Quàm lepidus porrò es, cùm ideo Ioannem Scotum & Sectatores eius ais petitas ex aliquo theologico loco rationes in propoſito non afferre, quia vtriuſque partis Theologi non alio quàm Gratiani libro vterentur! Lepidus adhuc magis, cùm eum locum Theologicum *ex probatis Chriſtianorum Principum exemplis vel ex alicuius Eccleſiæ putà Gallicanæ moribus & inſtitutis* fingis repetendum! Quaſi ex Patrum ſenſu, ex Canonibus Conciliorum, ex authenticis Pontificũ Decretis verus locus theologicus non petatur! Quaſi ex alicuius Eccleſiæ putà Gallicanæ moribus peti poſſit cõmunis Eccleſiis omnibus locus, qualis theologicus eſſe debet; aut magis illum theologicum Gallicana faciat quàm Romana Quaſi exempla illa Chriſtianorum Principum quæ probata præſumis, non potiùs à nobis vel improbata oſtenſa ſint vel fictitia! Quaſi & Eccleſiæ Gallicanæ toties à te repetiti pro inſtituto

tuo mores non fictitij etiam ſint & inanibus à te ac friuolis exemplis inumbrati! Nec verò illud quod Baronius anno 579. ex Gregorio Turonenſi omiſſum à te refert ſancti Auiti Aruernenſis exemplum quidquam prodeſt; qui nempe diſcedere ab vrbe ſua iuſſit Iudæos omnes baptizari nolentes: Quia non propterea illos coëgiſſe videri poteſt vt baptizari vellent, ſed præcauiſſe tantùm ne gregi ſuo nocumentum afferrent aut ſcandalum ſi mixtim ibi remanerent: Vnde ſic eos alloquutus refertur per Legatos: *Vi ego vos confiteri Dei Filium non impello, ſed tamen prædico & ſalem ſcientiæ veſtris pectoribus trado: Paſtor ſum enim dominicis ouibus ſuperpoſitus &c. Ideo ſi vultis credere vt ego, eſtote vnus grex cuſtode me poſito: Sin verò aliud, abſcedite à loco* &c. Indeque factum vt quingenti & vlteriùs baptizarentur, qui verò recipere baptiſmum noluerunt, in Maſſiliam ſe receperint: Vbi nec tolerati eſſent, ſi Eccleſiæ Gallicanæ fuiſſet vſus & mos eos ad chriſtianam Religionem compellendi.

Quod ergo infers eos qui cum Scoto

cogendos docent, quamuis errent in theologica docendi methodo, non errare nihilominus in Theologica doctrina, *quam vetus Eccleſiæ Gallicanæ conſuetudo ſuſtentat*, figmentum eſt; quod ſic toties à te importunè repeti ſine magno pudore non deberet: Quod addis quoque hanc diſciplinam prætextitiam Gallicanam *ab Eccleſia ipſa Romana ſtylo decretorio non configi*, effugium eſt; quia ſufficit eam quomodolibet improbari vt vſurpanda non putetur: Quod & ſubinde dicis intermixto vt ſoles græco logogrypho Romanam Eccleſiam in quæſtione illa ἐπαμφοτερίζειν, id eſt dubiam in vtramlibet partem & ancipitem eſſe, commentum eſt; cùm ex prædictis conſtet eam vniformiter per Pontifices de re iſtâ loquutam quandocunque loquendum datâ occaſione fuit: Quod concludis denique *ſi quis ex Gregorij Epiſtola impreſſionem faceret, hanc retardare Hadrianum primum & Innocentium tertium*, fallacia eſt Launoiana vel hebetudo; cùm nec Innocentius nec Hadrianus Gregorio, vt oſtendimus, contradicant; ſed eos Launoius non

intelligat, vel in tranſuerſum ex profeſſo interpretetur vt incautos hac aſtutiâ fallat. Quàm bene ipſe ob genium tam verſatilem & fallacem & ſibi ipſi tam frequenter contradicentem ἐπαμφοτερίζειν vterlibet Magiſter diceretur, & propterea neuter!

Cæterùm, errent nec ne in doctrina theologica qui Iudæos aut Infideles ad baptiſmum cogendos volunt, nihil moror: Sufficit vt quod ſolum in Pantheologia Rayneriana indicaueram, oſtenderim hunc Eccleſiæ Gallicanæ receptum vſum non fuiſſe, nec eccleſiaſticis aut ciuilibus hiſtoriis probari vſquam poſſe pro legitimo & licito agnitum; ſed potiùs probatum ſemper illum (vt magis rationi, ſecuritati, æquitati conſentaneum) quem agnoſcit in contrarium ſanctus Thomas. Quod autem in illius contumeliam ex quorundam præſumptitiis verbis effutire audacter geſtit inuerecundus obtrectator, *non apparere mirabile ſi ſanctus Thomas in materia quam indicant errauit, quia non loquitur theologicè, cùm nullam Scripturæ aut Sanctorum authoritatem inducat, ſed ſolùm philoſophicè*

& ſecundùm rationes naturales; dabitur per aliam occaſionem retorquere: Neque huc illud ſpectat, quamuis malignè fraudulentus calumniator detorquere conetur; cùm nonniſi ſanctionibus canonicis, & iuridicis planè chriſtianiſque rationibus quas Pontifices vſurparunt, aſſertionem illam ſuā aſtruat ſanctus Doctor, nec aſtruere magis theologicè poſſit quaſi Princeps Theologorum tam verè apud Sapientes quoſlibet æſtimatus, quàm falsò Launoius apud non valde ſapientes Princeps fingitur Criticorum.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SYNOPSIS

Rerum in hoc breui Tractatu diſcuſſarum.

1 QVàm turpiter hallucinetur Launoius in ipſa theſi vel hypotheſi tractationis. pag. 1.

2 Quàm ridiculè Athanaſio ſe comparet. 4.

3 Quantâ ſe φιλαυτία Pontificibus, Cardinalibus, Epiſcopis, ac doctiſſimis viris anteponat, aut ſuum illis opponat ſenſum qui exprobrat aliis φιλαυτίαν. 6.

4 Vſum Galliæ vel conſuetudinem nunquam fuiſſe vt Iudæi vel Infideles ad baptiſmum ſuſcipiendum cogerentur. 11.

5 Ex definitione moris vel conſuetudinis id concludi. 12. &c.

6 Chilperici exemplum pro Iudæis cogendis aut communi cogendi vſu fruſtra & inaniter oſtentari. 17. &c.

7 *Ex Gregorio Turonenſi vt oculato teſte citari falsò factum Chilperici.* 21.
8 *Figmentum eſſe quòd ſic ab illo referatur veluti ad antiquam pertinens diſciplinam.* 22.
9 *Prætexi fallaciter quòd Chilperici actum Epiſcopi Galliæ probauerint.* 25.
10 *Non minùs falsò id præſumi de Gregorio Turonenſi, qui hoc potiùs ipſo relationis modo videtur improbare.* 29.
11 *Exemplum Dagoberti Francorum Regis fallax & fictitium huc ridiculè applicari.* 33.
12 *Ineptè ac indignè præſumi quòd exempla potiùs reprobata quàm Concilij Toletani Decretum ſequi voluit Dagobertus.* 37.
13 *Tantum abeſſe vt Amandus ex Dagoberti iuſſu Gandauenſibus vim intulerit, quin multiplicem ab iiſdem violentiam paſſus eſt cùm ad eos docendos miſſus eſſet.* 40.
14 *Non aliud à Dagoberto iuſſum niſi vt miſſum ad ſe ſanctum Amandum reciperent & prædicare permitterent.* 43.
15 *Falsò dici quòd à Carolo-Magno*

coacti ſint Saxones ad baptiſmum. 46.
16 Quàm inanibus conjecturis & falſis ac fucatis hypotheſibus id præſumat Launoius. 48.
17 Non Annales Francorum tantùm ſed & Authorem vitæ Caroli-Magni ad id probandum nugaciter afferri, vt & Capitularia recens edita Romæ. 53. &c.
18 Ad infideles iam adultos inſulsè detorqueri quod manifeſtè de pueris Chriſtianorum dictum conſtat. 56.
19 Veriſſimum potiùs eſſe quòd conſilia tantùm & hortatu Saxones ad baptiſmum Carolus-Magnus induxerit. 62.
20 Ex duplici teſtimonio Alcuini conſtare quòd alia Caroli-Magni mens fuerit quàm vt Saxones Infideles cogeret ad Baptiſmum. 66.
21 Ab Hadriano primo Papâ Saxonum Paganorum coactionem ad baptiſmum laudatam eſſe vel approbatam, fraudulenter obtendi, vel ex falſo verborum eius intellectu. 73.
22 Saxonicam aliquam diſciplinam ineptè fingi, cùm infideles adhuc eſſent Saxones; & eandem cum Gallicana fictitiâ velut ex illa deriuatam. 78.

23 *Gallicanam ab Hadriano primo diſciplinam ſic approbatam oſtentari vel tanti æſtimatam vt in Romanam tranſtulerit: merum figmentum & ineptum,* 81.

24 *Coactionem Infidelium vel Iudæorum ad baptiſmum à Gregorio Magno improbari.* 83.

25 *Ridiculè colligi Gallicanam hac parte diſciplinam ex vſu vel abuſu duorum tantum Epiſcoporum quos Gregorius reprehendit.* 88.

26 *Gregorij ad illos epiſtolam eludi quaſi non decretalem nec à prædicto eos vſu decretoriè prohibentem.* 92.

27 *Epiſtolam Gerberti ſchiſmaticam, indignè vt Sylueſtri ſecundi epiſtolam pontificiam venditari.* 95.

28 *Ex illa tamen contrarium inferri quàm quod infert vel inferendum putat Launoius.* 97.

29 *Decretalem aliam epiſtolam ex Gregorio ſumptam ſtatuere apertè quòd Iudæi ad chriſtianam religionem cogendi non ſint vllo modo.* 98. &c.

30 *Inepta duo Corollaria Launoiana quæ fictitiè id eludant.* 101.

31 *Vtriuſque Corollarij abſurditatem vel*

falſitatem ſex momentis aut ſeptem declarari. 103.

32 *Duplicem Eccleſiæ Hiſpanienſis diſciplinam pro cogendis vel non cogendis ad baptiſmum Iudæis vltro fingi.* 106.

33 *Illuſoriam vel fictitiam eſſe quæ fuiſſe ſub Siſebuto præſumitur.* 108.

34 *Ex ipſo Siſebuti Edicto manifeſtè conſtare quòd hæc eius conſtitutio noua fuerit, nec veterem referens diſciplinam.* 110.

35 *Non aliam fuiſſe veram Hiſpanienſem in propoſito diſciplinam quàm quæ Iudæos ad baptiſmum compelli prohibuit.* 112.

36 *Indignè Toletanum Canonem & illius Decretum de Iudæis ampliùs non cogendis à Launoio vellicari.* 114.

37 *Quàm accuratè Siſenandus pientiſſimus Princeps hanc legem procurarit.* 116.

38 *Quibus figmentis id eludat inſulsè Launoius.* 118.

39 *Friuolas eſſe ac inutiles rationes quas pro coactione Iudæorum vel aliorum Infidelium Gallos præſumit cogitaſſe.* 122.

40 *Noua figmenta Launoij ad ſenſum*

Toletani Canonis explodendum. 125.

41 *Quæſtionem hanc falsò dici ad eas pertinere quas inſinuat indifferentes Auguſtinus.* 128.

42 *Innocentij tertij Decretalem impertinenter huc referri.* 131.

43 *Canonem Toletanum qua parte prohibebat coactionem Iudæorum, à Pontifice illo non probatum præſumi falsò quia de iſta parte ſilet, cùm potiùs præſumi poſſit hinc probatus.* 137.

44 *Repeti nugaciter quæ iam de Chilperico, Dagoberto, Carolo-Magno exploſa ſunt.* 139.

45 *Fallaciter omitti Eccleſiæ Orientalis morem, quia inde Iudæi vel quilibet alij Infideles conuincerentur nunquam fuiſſe legitimè coacti ad baptiſmum.* 141.

46 *Per turpiſſimam fallaciam quam in aliis falsò vel fictitiè reprehendit, realiſſimè illum ac veriſſimè aberrare, cùm nullum vſum Orientalis Eccleſiæ circa Iudæos vel alios etiam infideles ex eo infert quòd lex pro illis nulla extet.* 144.

47 *Quàm indignum ſit vt Gallicanam diſciplinam pro cogendis Iudæis ex*

vno vel altero exemplo intulerit; nec diſciplinam Orientalem pro non cogendis ex tot Principum piiſſimorum clariſſimis exemplis peti velit. 146.

48 *Varias leges pro Iudæis non perſequendis vel aliis eorum negotiis & cauſis latas fraudulenter diſſimulari, ex quibus planè inferri poteſt non coactos,* 148.

49 *Obiectiones quædam à Launoio prætermiſſæ, quamuis huc pertineant, ſed ſuppleta nunc & ſolutæ.* 151.

50 *Irreuerenter ſanctum Thomam ac imperitè ſugillari quòd Concilij Toletani ſolum Canonem reſpexerit; inſulsè verò addi quòd propterea nullum locum theologicum vſurparit; qualem vult Launoius ex Principum exemplis fictitiis & Gallicanâ tantùm diſciplinâ prætextitiâ peti.* 166. &c.

5-3-6-1